

RENATI RAPINI
SOCIET. JESU
CARMINUM
TOMUS TERTIUS.

CONTINENS HEROICA, ELEGIAS,

Odarum Librum, & Miscellanea.

Nova Editio aucta & emendata.



PARISIIS.
Sumptibus FRATRUM BARBOU,
viâ Jacobæâ, sub Ciconiis.

M. DCC. XXIII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.



INDEX HEROICORUM

LIBER PRIMUS.


HEROICORUM LIBER SECUNDUS.

INDEX ELEGIARUM.

INDEX ODARUM.

Finis Indicis Tomi Tertii.

CEL-



CELSISSIMO PRINCIPI

FERDINANDO

EPISCOPO MONASTERIENSI

ET PADERBORNENSI,

S. R. I. PRINCIPI,

COMITI PYRMONTANO,

LIBERO BARONI

DE FURSTEMBERG, &c.

RENATUS RAPINUS SOC. JESU.

QUo *loco ſit apud te litterarum amor*, PRINCEPS CELSISSIME, *quis honos doctrinæ & virtuti à te habeatur, fecit tua in litteratos vel humanitas vel beneficentia, ut hodie liberalis & ingenuus nemo ignoret. In quo laudari non poteſt cum admiratione ſatis magna, tuæ prudentiæ ſingulare judicium. Nam pace dixerim tuâ, nihil feciſti unquam, vel magis*

ſplendidum ad celebritatem tui nominis, vel ad immortalitatem gloriæ tuæ magis conſentaneum, quàm cùm incenſus amore literarum tam laudabili eruditis penè omnibus de fortunarum tuarum amplitudine, & animi tui magnificentia gratificari cœpiſti: non enim ſatis dici poteſt, quanto virtuti tuæ ornamento fuerit ea ſive altitudo animi, ſive genii excelſitas ac beneficentia, quâ ornare cœpiſti ſtudioſos omnes, in quibus aliquod meritum literarum eſſe comperiſti. Nihil enim eſt omnium rectè æſtimantium judicio, quod in homine per ſe magno & illuſtri majus illuſtriuſque eſſe poſſit, quàm excitare alacritatem & induſtriam literatorum, & eorum induſtriæ favere, quemadmodum facere cœpiſti.

Ut enim in maximis viris & ad laudem aſpirantibus exiſtunt interdum gloriæ cupiditates vel ignobiles, vel inconſideratæ: plerique principes viri, eorum ex ordine præſertim qui dant operam adminiſtrandæ publicæ rei, viamque veræ ſolidæque gloriæ ignorarunt hactenus univerſam, pro celebrando nomine poſteritatique commendando, vel magnis arduiſque laboribus ſuſceptis, vel ſuperatis fortiter ac generosè periculis, vel negotiis difficilibus prudenter excellenterque confectis, famam quaſi mercedem rerum præclarè geſtarum juſtiſſimam parare cogitant. At quàm hæc parum digna ſunt magno, grandi, elato, reſque humanas deſpiciente viro, qui ab imperitæ

multitudinis judicio & errore liber nulla re magis gloriari soleat, quàm rectè factorum conscientia; virtutemque requirat in omnibus multò consultius, quàm virtutis opinionem. Hæc enim una propè res est, quæ faciat excellentes viros & evectos supra conditionem rerum humanarum. Quod cùm satis ipse per te intellexeris, & respexeris semper studium literarum doctrinæque opinionem, tanquam autoramentum virtutis omnium certissimum, nullamque videris ad nominis claritatem amplitudinemque compendiosiorem viam, quam per cultum literarum, amoremque ingenuarum artium: hoc supra cæteros amantes gloriæ es meo judicio consecutus, qui ut immortalitati tuæ magis consuleres, favere cœpisti artibus iis, quæ silere de te posteritatem nunquam patientur.

Nosque adeo in primis quos ornare cœpisti tuis beneficiis, dabimus operam præ cæteris, ut quæ ad dignitatem tuam amplificandam pertinere videbuntur, prædicare nunquam cessemus. Et si contingeret aliquando, quod sat scio nunquam futurum, ut opprimeret vel taciturnitas vel oblivio de te ora literatorum, ut ipsæ literæ, ipsa virtus, ipsa fama tuam gloriam non sineret unquam intermorituram. Cujus cogitationis eò tibi suavior debet esse gustus, quòd jam & communi sensu populorum, & ipsius consuetudinis usu ita diuturno nihil magis tibi ipsi compertum sit. Quod si Musæ

nostræ de te conticescerent, ipsi tui mores declararent, quâ fortitudine animi, quibus consiliis, quam sanctis, quam gravibus reformaveris Clerum tuum, quâ vigilantiâ gregem excolueris, quo verborum fulmine & eloquio os frænaveris impietati, quo rerum successu debellaveris errorem, quâ felicitate subditorum incolumitati ac securitati publicæ consulueris, difficillimis his bellorum, quibus laborabat Germania pœnè universa, temporibus: quâ majestate in administranda republica Christiani Pastoris personam cum politici Principis dignitate conjunxeris. Fuit enim tuum illud de religione benè merendi tam perpetuum & constans studium, ut qui cæteros Principes in civilibus negotiis sapienter administrandis longè superaveris, in tuenda colendaque religione tecum certes, excellasque semper supra teipsum: quo haud scio an quicquam de te dici queat magis illustre ac splendidum ad nominis tui commendationem sempiternam. Ex quo laudis aditu, & veræ ac germanæ gloriæ primordiis, à te jam video summa omnia expectanda: nihilque in posterum ei spei quàm debes habere amplificandæ tuæ laudis, defuturum. Vale. Ultimo Kalend. Quintiles anni M. DCLXXXI.



HEROICORUM

LIBER PRIMUS.

CHRISTUS PATIENS

CARMEN HEROICUM.


RMA alii, & fuſo partas de ſanguine lauros
Dicere ament, Regéſque canant & prælia Regum.
Tu mihi ſervando promiſſe ſalutifer orbi
Regnator, ſummi ſoboles æterna parentis,
Carmen eris, tu Chriſte, tuæ tibi mortis honores
ingredior: quando ligno ſublimis ab alto,
Conflictus, leto indecori, patere ſupremos,
Humanámque tuo reparares funere gentem.
Si mihi, divinos mortali voce labores
Cantanti, pœnáſque omnes, ſeriémque dolorum,
Indignóſque obitus, ô ſi contingeret illi
Par tuba, quæ Manes imâ tellure ſepultos
Judicium ad magnum, mundo ex ardente, vocabit:
Quos motus animorum, & quàm confuſa cierem
Per populos lamenta, quibus clamoribus orbem
Attonitum, quanto turbarem pectora planctu!
Quamquam, ô Chriſte, tuos ſat forti pectore dicam
Interitus: ſi me divino incenderit æſtu

Spiritus is, qui te morientem, ægróſque trahentem
De cruce ſingultus, qui quondam funere in ipſo,
Te regnorum, habilem perrumpere clauſtra ſilentum
Fecit, & inferno leges imponere mundo.
Pierii colles & numina vana profanis
Vatibus implorata, levéſque faceſſite nugæ.
Una meos omni demum pro numine cantus,
Una meos animos crux impleat. O bona Vati
Crux aſſiſte tuo! ſeriem da pandere rerum
Tantarum, penitúſque ſacros recludere fontes,
Perditus unde orbis lucem, vitámque recepit.
Da poſſe infandum populis narrare dolorem,
Montibus in ſummis, rigidas qui rumpere cautes,
Qui rutili potuit ſplendorem extinguere Solis,
Miſcere extincto turbata elementa magiſtro,
Naturæque omnem latè confundere vultum.
Colle in pendenti, Solymæ ſub mœnibus urbis
Hortus erat: collémque frequens oleaſter, & hortum
Felici ramo, ſilváque virente tegebat.
Huc Chriſtum biſſex ſocii loca ſola petentem,
Frondenti in ſaltu, comitari ſæpe ſolebant.
Huc quoque, menſarum fundato more novarum,
Libatíſque Patri dapibus, ſacríſque peractis,
Venerat ipſe, libens qui morti occurreret atræ,
Atque ultro ſeſe fata ad ſuprema pararet.
Juxta aderant comites juſſi vigilare, ſed altus
Defeſſos jam nocte ſopor ſuperarat oborta.
Ille autem in nemoris ſolus ſpatia ampla profundi
Dum penetrat, mortíſque genus meditatur acerbæ,
Pœnarúmque ignominiam, injuſtóſque dolores:
Dúmque animo violenti obitus, violenta recurſant
Supplicia, & foſſo dandus de pectore ſanguis,
Inſolito ſenſit differri corda pavore:
Turpis eum leti dubitantem, & multa morantem
Terrores circumvolitant, ac frigidus horror.
Sed contra imperium urgebat genitoris, & ipſo
Jam datus à primæ conſenſus limine vitæ:
Quando olim ſortem fratrum miſeratus iniquam

Sumpſerat hos artus, & ſe devoverat aris.
At dum turbatæ crebreſcunt tædia menti,
Conflictu in medio, genibus procumbit in udam
Fuſus humum, ſuppléxque parentem affatus, ab alto
Has animi trepidus fundebat pectore voces.
Quæ diverſæ autem ſurgit diſcordia menti?
Quò feror! aut quæ me demum ad tormenta reſervas,
O genitor? Méne, ah! tam triſti occumbere leto
Immeritum, & veniam tam dura ſorte paciſci?
Si quid amas natum, natum pater eripe fato
Immiti, mortem fas ſit vitare pudendam.
Æſtu animi in tanto, ſopitos valle ſub ima
Ille iterum ad comites, iterúmque ad vota redibat,
Multa putans: toto proruptus corpore ſanguis
Humectans campum largo ſudore fluebat.
Eſt templum ſummi liquidos trans ætheris orbes,
Trans Solem & Lunam, ſedes ubi ſacra beatas
Conſtituit ſuperûm Regi, regníque miniſtris
Relligio: ſurgit templi in penetralibus altis
Ara ingens, aræ Deus inſidet. Ordine longo
Circumſtante mille Aligeri, qui ſupplice cultu
Vota repræſentant hominum, gemitúſque, precéſque
Et ſpes, & deſideria, & quæcumque piandis
Mortales fundunt miſeri ſuſpiria noxis.
Hos aræ divina Cohors, pro thuris odore,
Próque omni ritu ſacrorum, imponit honores:
Temperet unde animos, contra delicta nocentum
Juſtitia, & pœnam precibus placata remittat.
Tunc quoque, quando ardens animorum, in vota precéſque
Perſtabas, fama eſt te tunc, ô Chriſte, precantem,
Tendentémque manus, & fletibus ora rigantem,
Te ſummi dum gens omnis ſpectaret olympi,
Suppliciter triſtis, caſúque exterrita tanto,
Ante Patrem, templo in medio, tua vota ferebat,
Suſpenſíque omnes, quo ſeſe numinis iræ
Ex longo offenſi vertant, hoc cardine rerum;

Pro domino occurrunt medii : Patríque movendo
Certatim inſiſtunt : narrant, quos ille labores
Pertulerit, tenues hujus cum lucis in auras
Editus, humanos ultro ſuſceperit artus :
Pérque novem menſes habitarit carcere in arcto,
Prò mundi imperio, & cœli pro luce ſerena.
Pars rigido memorat temeratum frigore corpus,
Præſepi in fœdo, vilis ſub ſtramine fœni :
Pars ductum incisâ meminit de pelle cruorem,
Accepto fuſus quando pro nomine ſanguis,
Per ſe omnem labem humanæ qui tollere noxæ
Sufficeret, populíque ſcelus fatale piaret.
Addit, quanta illi, primis pro gente ſub annis,
Vota fuere mori, quis mentem incenderit ardor
Servandi generis : ſeries nec longa laborum,
Nec mortis diræ ſpecies tardarit amantem.
Ad Peluſiacum repetit pars acta Canopum
Exilia, unius crudelem regis ob iram.
Centum alii, ſimiléſque pari virtute miniſtri
Oſtendunt, quanto victum ſudore pararit,
Paupere ſub tecto : ſilvis ut ſolus in altis
Errarit, maciéque oculos confectus & ora,
Longa quaterdenos tulerit jejunia Soles.
Non ipſæ victum quercus, non ipſa ferebant
Arbuta : non ipſi præbebant pocula fontes.
Narrabant alii, per quæ diſcrimina rerum,
Fugerit inſidias malefidæ gentis, & ultro
Ipſe ſuo obtulerit ſe vitæ prodigus hoſti,
Attonito nova ſacra novus dum legifer orbi
Præciperet : quantóque animorum oraverit æſtu
Ad turbas, cùm per pagos, mediáſque per urbes,
Venturæ inciperet populo monſtrare ſalutis
Prima rudimenta, & priſcos reſcindere ritus.
Mille alii ærumnas, animis quas ceperat æquis,
Algorémque, ſitímque, & tædia longa viarum
Exponunt : quoties vigilatas ducere noctes
Oranti, & ſolos per montes degere amanti
Contigerit, quoties tenebris deprenſus obortis,

Ingratum tulerit, nuda ſub rupe, ſoporem.
Atque ea diverſi porro dum fortè referrent
Pro nato ad Patrem, ſimul unâ voce rogabant,
Quem finem ipſius precibus ferat, unde dolori
Sperare auxilium velit, & quò vertere vultus?
Supremo ipſe autem Patri fidiſſimus unus,
Signifer æthereæ turmis qui præſidet aulæ,
Plurima, quo multum pollens erat ore, ferebat
Pro Chriſto, letum trepido cui triſte parari
Dudum indignatus, tanto in diſcrimine rerum,
Inſtabat fidens animi, eloquiíque peritus.
Nam memorabat, uti liquidam Jordanis ad undam,
Cùm caput atque artus, purus licet, amne liquenti
Perlueret, natum Genitor confeſſus, & omnem
Id credi in populum, clara de nube, juberet,
Dans ſignum cælo ex alto, fulſere coruſci
Per nimbum radiantem ignes, & conſcius æther
Lætius intonuit ſolito, aſſenſúque ſecundo
Dicta Patris, multa manifeſtus luce, probavit.
Protinus auratis dorſum circumlita pennis,
Aëra per nitidum, terris delapſa columba,
Cæleſti afflavit luſtratum deſuper aura.
His etiam addebat, nuper quæ geſta ſub alto
Tabore, cum radiis inſignem lucis, & igni
Ipſe Pater ſociis natum monſtraret, & omnes
Illius imperio populos parere juberet.
Utque omnem cœpit monitis cæleſtibus oram
Implere, & factis ingentibus: atque per urbes
Finitimas jam tum manifeſto numine ferri.
Talem ergo natum Pater, & tam juſta petentem
Híſque adeò meritis, leti diſcrimine in iſto,
Multa alternantem, ne porro audire recuſet.
Ipſe modum tanto imponat finémque labori,
Híſque illum curis exſolvat, & horrida diræ
Avertat, ſi fata ſinant, præſagia mortis.
Hoc & amor Patris, & nati reverentia poſcat.
Talibus orabat Michaël, quem cætera pubes
Orantem comitata eadem pro Rege ferebat,

At Pater omnipotens, illo quo temperat orbem,
Tum demum tubæ oranti ſic ore profatur.
Non veſtras natique preces audire recuſo,
O famuli: ſed ne afflicto ſuccurrere poſſim,
Lex æterna vetat, promiſſáque fœdera mundo.
Nam poſtquàm vetita fatalem ex arbore fructum
Decerpſit primus mortalis, & ore ſuperbo
Nec noſtrum numen, noſtras nec ſpernere leges
Erubuit, victus pellacis fraude colubri:
Audacis jam non abolenda injuria facti eſt,
Sanguine communi, majora piacula poſcunt
Majeſtas violata, & ſpreti Numinis iræ.
Próque Deo offenſo crimen tam grande piandum
Per non humanos obitus, ſed morte litandum
Divina: rerum is nimirum vertitur ordo.
Intereà vocat Aligerum de millibus unum,
Qui natum leti pavidum terrore futuri
Obfirmet, dictíſque ægrum ſoletur amicis.
Res hominum fractas, ſi qua pietate movetur,
Et vitæ ſortem indignam, miſerandáque fata,
Reſpiciat: tum quos ex iſta morte triumphos
Ipſe ſibi, Patri quos conciliabit honores.
Si quæ autem natum genitoris gloria tangat,
Perferat hæc, neque jam ſatis, laudive reſiſtat
Deinde ſuæ: vitam Genitori impendat, & orbi
Servando! quærenda ſalus, hac morte, ſuorum.
Nuncius it, ſummíque volans fert dicta parentis
Ad natum, qui tum verſabat mente ſub alta
Omne odium tortorum, & inexſaturabile pectus.
Perjuræ mox quanta daret ludibria genti:
De cruce quos riſus, faceret quos impia ludos
Poſteritas: & quàm paucis de ſanguine fuſo
Præmia ſperatæ conſtarent certa ſalutis.
Nec jam pœnarum morſus horreſcit acerbos,
Aut inhoneſta crucis moriturum probra morantur:
Tardat eum clades patriæ, atque indigna ſuorum
Excidia, & mortis merces perdenda futuræ.
Talibus undantem curis, Patre miſſus ab alto
Nuncius

Nuncius interpres ſuper aſtitit : ille tenebat
Ora ſolo fixus, jam leti horrore propinqui
Exanimata, graves oculi languore jacebant
Funereo, gemitúſque agitabat creber anhelum
Pectus, & inſolito vultus ſudore madebat.
Jámque illum cœpti dudum, lucíſque, ſuique
Pertæſum, vitam & lucem durare pigebat.
Una autem, ante oculos volat atræ mortis imago,
Et clavi, & lora, & ſpinæ, laterique cruento
Militis intorta figendum cuſpide ferrum.
Inde animo ſubeunt prætoria, milite denſo
Conjurata graves cum ſanguine poſcere pœnas.
Probráque apud Latium lento patienda tribunal.
Et ſua Majeſtas Regi ridenda ſuperbo.
Tuque ô ! funeſtæ mortis crudele theatrum
Mœſtæ occurrebas rupes Calvaria menti.
Sic Annas ſolium ante ſuum, Caïpháſque rogabit
Inſontem : rigidus ſic vincto illudere miles,
Sic alapam audebit violenta infringere palma :
Sic Petrus fœda ancillæ formidine victus,
Cari abjurabit noménque decúſque magiſtri,
Sueta priùs quam dent criſtatæ ſigna volucres.
Nocte ſub obſcura ſocios hinc inde per urbem
Præcipites metus acer aget : ſic crimina finget
Impia gens dictíſque minas jactabit acerbis.
Ille adeò tali confuſus imagine rerum,
Dum mœſto tam multa tremens ſub corde volutat,
In partes mentem labefactam dividit omnes.
Nuncius aſt illum cunctantem & multa paventem,
Sic demum affatu propior compellit amico.
Macte animis, ô nate Deo, nam funere ab ipſo,
Quod refugis, veniet ſupremo magna parenti
Gloria, magna tibi : cùm demum ſanguine fuſo
Legibus ipſe tuis regnandum acceperis orbem.
Aſpice quos populos letum deforme, quod horres,
Quámque tibi injuſto pariet de funere gentem.
Nam poſtquàm fato demum perfunctus acerbo,
Sub terram umbrarum ſedes & clauſtra ſilentum

Fregeris, ac manes victor conceſſeris imos:
Captivos patres, ſpoliis oneratus Avernis,
Jam victor tecum ſupera ad convexa reduces.
Atque tuo poſtquàm crimen commune piaris
Interitu, toto ſurget gens altera mundo:
Tum rerum ſeries melior naſcetur, & aris
Deinde tuis alios Patri inſtaurabis honores:
Lætus & ipſe tuum, poſt triſtia fata, videbis
In populos omnes latè increbreſcere nomen.
Tum poſito demum tellus Ægyptia ſiſtro
Numen adorabit: verſis tibi Græcia fatis,
Et gravis imperio terrarum Romula tellus
Inſtituet ritus alios, moréſque ſacrorum,
Ac longo victæ accedent ex ordine gentes,
Omnis Arabs, omnes patrio cum rure Sabæi,
Et bello infræni Numidæ, fortéſque Geloni,
Mauríque, Cretéſque, & odoriferi Nabathæi.
Mulcebat tali miſerans ſermone paventem
Aliger, ac mortis probrum celare pudendæ
Non tulit: exponit quanti, hac è morte, dolores
Et quæ pœnarum ſeries quàm longa ſequetur:
Jámque Sacerdotum per fraudem injuſta parantum
Circumſtare odia, & populum jam dira frementem
Perfidiam comitum perjuráque verba ſuorum
Narrat, & ut falſi prætendens nomen amici
Antevolans ficto ſocius dabit oſcula vultu.
Mandabunt ut terga fugæ procul agmine fuſo
Fidi omnes, trepidæ vix auſi fidere nocti.
Haud aliter quàm cum cæſo paſtore, per agros
Fulmineo pecus omne fremens leo diſſipat ore.
Addit, ut informem nectens ex arbore nodum
Et laqueo infami Judas extrema ſecutus,
Se multa incuſans, lucémque peroſus, & amens
Gutture ab eliſo triſtes pendebit in auras.
Tum verò virgis ut percutienda ſalignis
Terga dabit, nudas circum geminata ſonabunt
Verbera per coſtas, & tabo undante natabit
Omne pavimentum, tenues ut ſparſa per auras

Membra minutatim concisa in frusta volabunt,
Et cervix trajecta rigente horrebit acantho.
Pérque jocum servili humeros velabitur ostro,
Dandus ad Hebræam, tali sub imagine, plebem,
Vile in ludibrium, & turba illudendus ab omni.
Ut populus dictis patientem incesset amaris:
Omnia terrifici vates quæ dira canebant.
Quamquam autem mœstæ tot menti indigna recursent:
Aligeri postquàm dictis recreatus, acerbum
Excussit penitus terrorem, animósque recepit:
Ibo, inquit, quò me cari suprema parentis
Jussa vocant, generis crimen commune piabo,
Nec me pœnarum species horrenda retardat.
Dicebat, campóque alacer surgebat ab ipso:
Lucentem cum turba ingens lucentibus armis
Ad Lunam, portis hortum perrumpit apertis.
Desertúmque suis & inermem, milite multo,
Circumstant, magnóque trahunt clamore per urbem,
Judicio dandum infido, pérque omne tribunal
Raptandum: leti causas & crimina, tectis
Ipsi primores, ut cuique est copia, texunt
Artibus obliquæ invidiæ, pœnásque reposcunt.
Una animis infensi omnes, variisque trementem
Insidiis circumveniunt. Confusus at ille
Dum scelerum autorem cuncti, fraudúmque potentem
Incusant, tenet ora solo defixa, silétque
Conscius ipse sui, præfectum indigna rogantem
Nec jam responso dignari sustinet uno.
At quamvis regnum nil jam mortale moretur,
Divinos ortus coram prætore fateri
Non puduit, qua se memorabat origine cretum,
Fidentérque Deum sese testatus: at ipse
Horrorem insimulans, procissa veste Sacerdos
Sacrilegum inclamat, sontémque professus, ad ædes
Præsidis Ausonii mulctandum morte remittit.
Illo frænabat Solymæam tempore gentem

Cæsare pro magno, Romana missus ab urbe
Pontius, atque alta populos sub pace regebat.
Præsidis ergo omnes Romani ad limen inundant;
Divini quos dira sitis, rabiésque tenebat
Sanguinis, & misero nova fingere crimina tendunt.
Vestibulum densi ante ipsum, longísque frementes
Porticibus, variis acuunt clamoribus iras.
Pars memorat, festis cùm lex cessare diebus
Præcipit: ut morbos curare, ægrísque mederi
Obstinet: & legem contra, morémque receptum,
Illotos vulgo comites considere mensis
Sustineat, manibúsque cibos contingere fœdis.
Pars ait, ut pollens linguæ, fandíque peritus,
Paulatim ad turbam vicinas suscitet urbes,
Dum perstat mores sacrorum abolere vetustos,
Et legem antiquam, patrúmque edicta refigit,
Seditione potens: instat pars cætera, ut omnem
Gaudeat ambiguas in plebem spargere voces.
Ut regnum fastu in populum affectare superbo
Ausit, & irriso se prodere Cæsare regem.
Obtendunt alii, Solymæ dum vana minatur,
Sacrilego quoties sese jactaverit ore,
Eversurum aras, & pessum templa daturum.
Dumque incensi odiis Christum tot frivola contra
Certatim objiciunt, & dictis crimen acerbant:
Ipsa amens animi, variísque exterrita monstris
Romani conjux, noctem quæ passa per atram,
Multa virum hortatur, causæ ne se ingerat illi
Imprudens, falso insontem neu crimine perdat:
Polluat unde suum scelerata cæde tribunal.
Pontius uxoris monitu permotus, ahena
Afferri liquidos fontes præcepit in urna,
Perluat unde manus, animúmque ostendat, & omni
Si quod erit, coram populo, se crimine purget.
Ut trepidæ ostensa uxori sic visa refutet.
Nam neque jam fas est populi procerúmque cruentam
Restinxisse sitim, neque tanto obstare furori.

Cuncta timet, plebíſque minas, Urbíſque tumultum.
Præcipuè quoties vanum plebs nomen obumbrat
Cæſaris, atque iſto communes aggerat iras
Prætextu, morte immeritum dum perdere tentat.
Ille adeò victúſque metu, cedénſque furori
Injuſto, Chriſtum malefidæ denique genti
Tradidit inſontem: ſéque intra tecta recepit.
Haud aliter, quàm cùm Tyrrhenum nauta per æquor
Tendit iter velis, cælo ſi fortè nigranti
Tempeſtas fœda ingruerit, quæ triſte minetur
Omnibus exitiúmque viris, ratibúſque ruinam:
Obſtantes contra ventos luctatur ab alta
Puppe gubernator, clavúmque intorquet, & ipſos
Hortatur validis comites inſurgere remis,
Si quà gravem caſum detur ſuperare facultas.
Verum ubi collectum glomerari nubibus imbrem
Immitéſque omni ventos crebreſcere ponto
Senſerit, & piceo miſceri turbine cœlum,
Permittítque ratem ventis, clavúmque relinquit.
Facta potens voti pubes Solimæa furentis,
Judicio infando, non jam Prætoris ob ædes
Incerta errabat: cædem fremit ore cruento
Turba omnis, cædem primores gentis, & ipſi
Deinde Sacerdotes, Italo cum milite, ſpirant:
Atque omnes Chriſtum inſontem ad crudele repoſcunt
Supplicium. Signum interea fatale paratur,
Et necis urgendæ ſtudio, infabricata bicorni
Crux cedro erigitur, mortis nunc triſte theatrum
Chriſte tuæ, ſeris ſignum venerabile ſeclis,
Quo noſtræ conſtet pretium commune ſalutis.
Romuleæ interea procedunt urbe phalanges:
Pone ſubit, dorſo geſtans immane trementi
Pondus, & undanti jam ſquallidus ora cruore
Chriſtus, eum peditúmque manus, equitúmque cohortes
Armatæ circumſiſtunt, & fune retorto
Raptatum, duráque crucis ſub mole gementem

Cædis diræ avidi, magnis clamoribus urgent.
Ibat mœſta parens, tanto ſervata dolori:
Ibant & reliquæ matres, crinémque ſolutæ
Pectora fœdabant palmis, atque ora rigabant.
Ut ventum in montem, cæcis mugire cavernis
Cœpit, & inſolito ſub terram horrore moveri
Omne ſolum, gentis dirum ceu crimen iniquæ
Horruerit tellus, domini mox ſanguine ſacro
Reſpergenda ſui, & juſto confuſa dolore,
Viſceribus tantum ſcelus ejuraverit imis.
At non illa tamen populum præſagia terrent.
Nam Chriſtum immemores rerum, oblitíque ſalutis,
Veſtibus exutum rigido diſtendere ligno
Inſiſtunt, nudúmque ſupremo in monte reclinant.

Salve divino quoties optatus amori
Letifer ô collis! namque hac certamen arena
Chriſtum grande manet: mortis vincenda poteſtas
Rupe ſub hac, quærenda ſalus hoc publica campo.
Quantum fatorum locus hic habet! ut ſemel Agnus
A prima quondam mactatus origine mundi,
Iſto monte ſuper, ſeſe devoverit aræ:
Atque expirantis Chriſti violenta cruentum
Ruperit haſta latus: populóſque effuſus in omnes
Purgandum ſanguis divinus laverit orbem.
Omine quo, victis mœrens Stix palleat undis,
Et regno trepidi Manes turbentur Averno,
Infernique lacus, & inexorabile letum,
Ergo fide animis, & ſacrum concipe fœdus,
O Chriſte: humana mortem pro gente paciſci
Ne dubita: unde tuo dirimatur ſanguine bellum,
Et cauſæ irarum antiquæ cum patre reſidant.

Interea expediunt necis inſtrumenta nefandæ
Tortores: clavo palmas pars figit adacto,
Cedrum in tranſverſam, rigida pars cuſpide plantas
Trajicit. Ah crudo potiùs me figite trunco
Tortores, ſontem quocumque abſumite fato,
Perdite me, ut merui, Chriſto nil tale merenti
Parcite: ſum leto ſolus damnandus acerbo,

Qui toties ſummum violavi crimine numen:
Sumite poſcendas, ſcelerato à ſanguine, pœnas.
Sed quid ego hæc autem triſtes maleſanus ad auras
Vana loquor? neque enim, jam curat dicta, neq; audit
Impia gens: alta pendens ex arbore Chriſtus
Sublime erigitur, terras unde arduus omnes
Reſpiciat moriturus, & omni debita mundo
Victima monſtratam fatis mactetur ad aram.
Hos Regi perjura tuo perſolvis honores
Nimirum, ô Solyme: non ille ferocia corda
Pervicit meritis: dominum crudelis iniquo
Interimis leto, qui te ſervare parabat.
Hunc gens veſtra odii ſtimulis agitata maligni
Affixum ligno, properata morte, peremit,
Qui veſtros quondam, per tot miracula, patres
Servitio eripuit duri Pharaonis, & ipſam
Cunctantem, ac monitis toties cæleſtibus actam
Ægyptum, cæſo primævæ flore juventæ
Perculit, atque maris ſua demum in clauſtra refuſi
Fluctibus involvit, tota cum gente, tyrannum.
Quid dape cæleſti, deſerta per arida, paſtos
Iſacidas, gregibúſque datam ſitientibus undam
Eloquar, expreſſis icta de rupe fluentis?
Ut ſileam riguas mira dulcedine valles,
Atque redundantes cæleſti nectare rivos.
Diruta raucarum ſolo clangore tubarum
Mœnia quid memorem trepidæ Jericunthis, & urbes
Jordanis toto paſſim ſub litore victas?
Quid tribubus metata tuis fatalia rura
Promiſſæ telluris, & hoſtes undique fuſos:
Reſpondes autem tanto, gens perfida, amori
Supplicia & pœnas, divini hæc impenſa favoris
Argumenta, tot illa crucem benefacta merebant?
Hoc Servatori pretium memorabile veſtro!
Quid faceres ſcelerata tuo crudelius hoſti?
At quid ego Hebræam gentem, Solymámq; furoris
Nec quidquam accuſo tanti? Quid ſera querelis
Mortales lentè teneri jactamus, & ipſos

Carnifices diris inceſſimus? Omnia quando
Tormenta hæc ſceleris ſunt prima exordia noſtri.
Id pietas tua, Chriſte, tui id meruere labores
De nobis? Quicumque Crucis divina ſecuti,
Bellando vexilla, tua ſub lege, meremur
Chriſtiadæ infidi, te Chriſte, peremimus omnes.
Crudeli interea riſu, linguáque procaci,
Armato paſſim mixtum cum milite vulgus
Chriſto inſultabat: referunt ea præmia porro
Qui templum exturbare agitant: ſic lapſa refingunt
Mœnia, ſacrilego dum faſtu vana minantur.
His populus probris, toto ſub monte fremebat.
De cruce pendenti mater cariſſima nato
Aſtabat: non illa manu perculſa decorum
Pectus, & effuſos ventis laniata capillos,
Aut ſe deſertam fletu male quæſta pudendo.
Námque ſuos generoſa parens, natíque dolores
Exſuperans animorum, æqua ſub mente ferebat.
At non ſic reliquæ, tot Chriſtum indigna ferentem
Spectabant matres: iſto de funere, natis
Quæ fatale aliquid jam tum impendere videbant.
Ipſa adeo cædis vindicta parata cruentæ
Attonitam implebat variis rumoribus urbem:
Et triſtes pœnas jam conſcia turba pavebat.
Quid reliquos porro Chriſti memorare dolores
Attinet, ut vepribus cervix trajecta cruentis
Diffluat, intenſis ut membra rigentia nervis
Et trunco defixa, gravi ſub mole laborent:
Ut male ſuſpenſo ruptus de corpore ſanguis
Exſuccum inflammet pectus, faucéſque peruſtat.
Ferte citi limphas, ſitis arida torret hiantem,
Qui ſummo laticem exiguum pro munere poſcit.
Sed ſucco immiti, ac triſti perfuſa veneno
Pocula præbentur labris, ut dirus amaror
Torqueat os, linguámque urat morientis. At ille
Reſpuit oblatos labris, quos attigit hauſtus.
O feritas immanis, aquæ tibi gutta negatur,
Qui fontes populis, & flumina dividis orbi,

Perpetuíſque rigas arentes roribus agros.
Sed non optato ſitiens fruſtrabere potu,
Chriſte, tui ſacræ ſi quando numinis auræ
Obſequimur faciles, & ſi meliora ſecuti
Cœperimus vitæ injuſtos dediſcere mores,
Virtutémque alacres amplectimur. Iſte tuorum
Terminus, hoc pretium, hæc merces quæſita laborum,
Noſtræ erat, urebat quæ te ſitis illa, ſalutis.
Sed Chriſti exhauſto morientis ſanguine, nondum
Omnis tortorum furor eſt exhauſtus, iniquo
Reſtat adhuc odio, rabiem plebs unde requirat
Exſaturare ſuam: pendenti illudere dictis
Aggreſſi, riſu miſerum inſultante ſalutant.
Funere paſce oculos gens impia, paſce cruentas
Sanguinolenta manus: verùm hunc compeſce furorem:
Abſit ab injuſtis ſaltem petulantia verbis.
Ecce autem fuſo major de ſanguine creſcit
Hæc rabies, creſcunt iræ: nec parcere linguis
Norunt ſacrilegi: ſua deerant vulnera honori,
Chriſte tuo, dictis etiam violandus amaris
Ille fuit: toto paſſim ſub monte furentum
Confuſæ inſurgunt voces, & acerba jocantum.
I nunc, i, te voce Deum mentire ſuperba
Dum moreris: ſic diſce alios ſervare cadendo,
Qualem te jactas, manifeſto numine, prodis.
Sed dum tortores immani murmure Chriſto
Inſultant, ipſis veniam tortoribus orat,
Excuſátque ſcelus: quin & pro crimine tanto
Vota facit, gentis furias miſeratus iniquæ,
Vulneráque obtendens Patris objicienda furori,
Hanc, ait, hanc inſontem animam tibi ſponte remitto,
O Pater, & tota vitam pro gente refundo.
Nec plura effatus, magna ter voce, Parentem
Supremum implorans, ligno expiravit ab alto.
Si ſic immeritum punis, Pater optime, natum:

Quid non ſervi humiles, noſtra ob delicta, meremur
Supplicii, & quas non debemus ſumere pœnas,
Ipſe autem ante alios? méne ah! tam ſæpe nocentem,
Et veniæ uſque adeo indignum, lucíſque fruendæ,
Non potuiſſe mori! Nam quæ mihi, quanta pepercit,
Quot delicta Deus? flamma dum vindice, ſontes
Ex alto in reliquos ſuperintonat? O ubi; qui me
Et meritum toties, & adhuc graviora merentem,
Fatalem hanc, qua ſe Chriſtus devovit, ad aram,
Mactandum imponat! Quid enim jam demorer ultra
Vitæ infelicis ſpatium quod inutile reſtat,
Ætatémque mihi proferri longiùs optem:
Quam morbi & curæ affligunt, tot bella per orbem
Inflammata, graves odiis furialibus, ipſos
Per populos inimicitiæ, ſuper omnia virtus
Tam multis deſpecta, ſuas temerata per aras
Relligio, noſtri præceps inſania luxus,
Tot ſcelerum ſpecies. Nam quæ unquam ſecla fuerunt
Uſque adeo virtuti infeſta, averſáque ab aris?
Quando ſuos patitur fluctus, hoc turbine rerum,
Relligio & virtus, me fluctibus eripe ab iſtis,
Summe pater: quod & hoc de te ſi denique munus
Non merui, ſaltem fas ſit pendere ſupremum
De cruce, & amplexu Chriſti morientis ab ipſo
Hos animos haurire, Deo quos noſter amanti
Quondam expreſſit amor, crudeli funere dulcem
Cùm vitam moriens reparando impenderet orbi.
Ah ſaltem liceat perfoſſis oſcula plantis
Truncum amplexantem totis libare diebus,
Et tecum ſimili libantem occumbere leto.
Si nunc ille, tuo qui pectore, Chriſte, calebat,
Ille meis ſi ſe nunc oſſibus implicet ignis,
Ferventémque paris me leti inflammet amore:
Quas ego non pœnas, quæ non tormenta ſubirem
Pro te alacer, promptúſq; mori, quæcumque paratus
Digna indigna pati, cuicumque occumbere leto.
Quamvis id ſperent meriti, qui ſanguine fuſo,
Cæleſtem referant tua per veſtigia palmam.

Excitet hæc alios fiducia. Vos mihi partes
Eſte meæ, Chriſti ſupremum plangere funus,
Atque meo gemitus populorum incendere planctu.
Sed mortis dum, Chriſte, tuæ vulgare dolorem
Aggredior lacrymans, & totum flenda per orbem
Fata redordiri populis, ac carmine mœſto
Dicere te leti pro mundo extrema ſecutum,
Quis gemitus guttis roret ſat grandibus ora?
Quæ ſatis hunc caſum poſſint æquare querelæ?
Nec mihi pro rebus poſthac volvantur inanes
Jam lacrymæ humanis, tum flere humana decebat,
Cum ligno Chriſtus nondum ſuſpenſus ab alto,
Se noſtra pro gente, neci devoverat atræ,
Et nondum laceri clavis immanibus artus
Proſtarent triſtes miſerandum funus ad auras.
Téne ego, dum moreris, poſſim te, Chriſte, tueri,
Pallentémque oculis, expirantémque cruento
Funere, nec doleam, tanti qui prima doloris
Cauſa fui? Ille ego ſum, tua qui tibi vulnera fixi,
Quas merui, das ipſe tuo de ſanguine pœnas,
Non veritus, pro me tam fœdæ occumbere morti.
Et vivo infelix, nec creber ab ore profundo
It gemitus? Riguo non manant lumina fletu?
Nec violenta meum rumpunt ſuſpiria pectus?
Ipſa ſuo poſtquam rerum natura parenti
Indoluit, ſenſitque tuos, ô Chriſte, labores,
Multa gemens, ipſi flerunt tua funera montes,
Ipſæ te rupes, ipſæ ſub rupibus altis
Viſceribus diffiſſæ imis, flevere cavernæ
Quin & purpureo dum Titan ore niteret,
Et veſpertino præberet lumina cælo,
Horruit aſpectu tam diro, oculóſque retorſit,
Pallentémque atri Lunam infecere colores.
His ſuper incenſis erumpere nubibus ignes
Terrifici, maculæ obſcurum per inane rubentes,
Nigranti fulgere polo, triſtéſque per auras
Audiri voces mœſtæ, & ſuprema minari.
Criminis ipſe etiam tanti jam conſcius æther

Occuluit ſeſe tenebris, & nocte profunda
Indixit toti ſervanda ſilentia mundo.
Rupit & ille dolor tumulos, manéſque ſepulcris,
Inviſam rurſum in lucem, prodire coëgit.
Et paſſim ſimulacra modis pallentia miris
Viſa ſub obſcurum, confuſam errare per urbem,
Et terrere vagum ſubita formidine vulgus.
Iſtis tum primum populo res credita ſignis,
Offenſi triſtes portendere numinis iras.
   Supplicii ſocios, ut erant, jam morte propinqua
Semianimes juſſo perimit dum funere tortor,
Luctantéſque animas invito à corpore ſolvit,
Chriſtum expirantem, qui tum ſub monte, coruſcam
Pictus acu Tyria chlamydem, criſtáque comanti
Conſpiciendus eques juxta reſpexit, & haſtam
Impreſſit nudo lateri, jam frigida leto
Tranſadigens fractis alte præcordia coſtis.
Continuò rigui, rupto de pectore, largus
Sanguinis it torrens. Spes hinc ſpes diſcite veſtras
Mortales. Neque enim fruſtrà divinus aperto
Corde cruor cœpit totis decurrere rivis
Noxas unde omnes, unde omnia crimina mundus
Eluat, atque ſalus populorum certa ſequatur.
   Nec mihi vile adeò quiſquam perſuaſerit autor,
Sanguinis eſſe tui pretium, divine Redemptor,
Ut genus humanum non fructus mortis ad omne
Pertineat. Quis enim metas imponat amori
Immenſo, meritúmque Crucis tam parcus in arctum
Deducat, repetens igitur, repeténſque monebo,
Mortales ſperate, ſuas Clementia leges,
De cruce jam mundo cœpit dictare nocenti:
Et moriente Deo venia exorata Latroni,
Sontibus oſtendit quæ ſpes monſtrata futuris.
Hæc dubias animat quando fiducia mentes:
Cur non perpetuo rorantes lumina fletu,
Nudáque percuſſi violentis pectora palmis,
Magnum ſponte Crucis provolvimur ante tribunal,
Atque ultrò oramus veniam, & commiſſa fatemur?

Ibo prior, nec me deinceps terrebit euntem,
Sit quamvis ſcelerum ſpecies horrenda meorum.
Parcite cæleſtes: ſi Chriſti morte redemptus,
Humanas vel opes, fluxæ vel gaudia vitæ
Affectans, alios quàm Servatoris amores
Suſpiravi amens. Neque enim promiſimus iſta
Chriſtiadæ, quando mundum mundíque ſuperbam
Pompam omnem, ad ſacras primùm abjuravimus undas.

Nam poſtquam, Chriſte, humanæ ſub imagine formæ
Veniſti, vita & monitis, qui crimina primus
Noſtra redargueres, & nos tua regna doceres:
Nil ſuper imperio terrarum, aliiſve movemur
Promiſſis, primo quæ quondam noſtra parenti
Fata oſtendebant: ſpes olim agitavimus iſtas:
Quando humilis ſortem humanam fortuna decebat.
Et poſtquam nobis regnum immortale paraſti
Sanguine, Chriſte, tuo: nil jam terreſtre putandum eſt
Aſcitis in ſpem æternam: nam cœpimus ex quo
Eſſe Dei heredes, terram mutavimus aſtris.
Deinde ergo jam nullus opum, jam nullus honorum
Nos pertentet amor: nec noſtras terror inanis
Pœnarum falſa frangat formidine mentes.
Quis pudor inferno foret inſervire Tyranno,
Cæleſtis patriæ immemores, rebúſque caducis
Affixos, poſtquam obſcura ſub nocte jacentes
Æternam in lucem Chriſtus revocavit, & ægris
Morte ſua medicatus, iter patefecit Olympo?

Huc ergo ſcelerum quos conſcia vita remordet,
Huc concurſu omnes pacem exorate frequenti:
Et ſi vos teneat veniæ ſpes ulla merendæ,
Cruda ſui placate patrem per vulnera nati.
Nate Deo, per eum quo nos mercaris amorem,
Per ſpem, quam duro moriens de funere mandas
Eſſe reis, per dira necis tormenta cruentæ,
Pérque artus laceros, per ſparſos ſanguine vultus,
Ipſis, per veniam quam tu tortoribus oras,

Vulnera trajecti per pectoris, & per amoris
Cætera ſigna tui, gentis miſerere, nec unquam
Ipſe tui cauſas bonus oblivifcere leti:
Quo ſtetit humanæ merces impenſa ſaluti.
At quamquam fas, Chriſte, tuæ ſit fidere morti,
Cum patre percuſſum poſtquam jam fœdus, & omnes
Compoſitæ pacis divino ſanguine leges:
Non erit inde tamen poſthac impunè ſuperbis:
Huc igitur tumido cui mens malè turgida faſtu,
Aut famæ maleſanus amor, laudúmve cupido,
Sublimes animos & ſpes inſpirat inanes.
Huc ades: atque tui mortem meditare magiſtri.
Ad crucis aſpectum ſe veſtra ſuperbia frangat,
Mortales ſtolidè vani, atque inſana tumentes.
Aſpice divino reſperſos ſanguine vultus,
Trajectóſque pedes, & apertum cuſpide pectus,
Quiſquis es, exoſo dubitas qui parcere fratri,
Averſúſque foves odia implacata tuorum.
At non ille ſuos, cujus te morte redemptum,
Oſtentas furioſe, tuus ſic frater in hoſtes
Chriſtus erat, moriens quando poſt crimina tanta
Támque graves inimicitias, tibi deinde pepercit.
Illa tuos reprimat ſpecies, & imago furores,
Si quis adhuc odiis nunquam exſaturatus, amara
Rumperis invidia, fratrum genus omne peroſus,
Irarúmque gravis violento agitaris ab æſtu.
Quiſquis es, externo thalamos qui prodis amori,
Connubiíque fidem, ſacratáque fœdera rumpis:
Atque inconceſſos ſub pectore concipis ignes:
Reſpice, quos pro te moriens perferre dolores
Suſtinuit Deus: & poſthac mala gaudia quære.
Si te expirantis Chriſti non flectat imago,
Nullus, mollem animum poſſit qui flectere deinceps,
Senſus erit, Morbis námque una medebere noſtris
Crux impacatos domitura libidinis æſtus.
Fortunata arbos, Chriſto pendente, ſuperbum
Quæ caput excelſo mundi ſuper ardua trunco
Attollis, cælo fructus paritura perennes

Et terris: nostræ lignum fatale saluti,
Quas tibi commemorem, merito quam carmine laudes?
Te mors primorum spoliis onerata parentum,
Te domus immanis tenebrarum, umbræq; silentes
Victricem sensere, tuos Acheronte sub alto,
Captivi quondam manes cecinere triumphos.
Te cælo latè, & terris, Erebóque potentem
Tartareæ tremuere acies: tua maxima virtus
Contudit Inferni vires & sceptra tyranni.
Tu generis maculam antiquam, prolíque futuræ
Impressam prima mundi sub origine labem,
Lavasti pura divini aspergine roris.
Tu quondam Hebrææ, colubri sub imagine aheni,
Per deserta Arabum, sanasti vulnera gentis.
    Plaudite servato, sacra Crucis arbore, mundo
Mortales, cui nulla unquam certaverit arbos,
Divite tot trunco tales producere fructus,
Aut caput excelsum passis sic tollere ramis:
Non priscis habitæ quercus oracula Graiis,
Non Libani cedrus alta, nec Hæmoniæ cyparissi,
Olim tempus erit, tua quando supplice cultu
Sub juga captivus latè censebitur orbis,
Crux instaurato signum venerabile mundo!
Cúmque omnes populi, flexo cum poplite Reges
Accurvi sacro libabunt oscula trunco,
Et tua describent lustrandæ insignia fronti.
Magnanimíque equites, si quando ardentibus ibunt
In medias acies animis, & castra movebunt,
Contra Asiam, viréssque omnes Orientis, & ipsum
Regnatorem Asiæ, pro Religione tuenda,
Armabunt, de more, tuo sua pectora signo:
Ut bella, & casus belli eventúsque secundes.
Curva tuum ipsi etiam servati in litora numen
Nautæ implorabunt: trepidis tu læta reduces
Tempora, te nimbi tempestatésque pavebunt.
Et dubio deinceps quicumque per æquora ponto
Vela dabis: cœptam vel jam sub nocte profunda

Ingrediere viam, cæco si fortè tumultu,
Desuper astra tonent, & inhorreat imbribus æther;
Crebráque confusis rumpantur fulmina nimbis:
Irato frustra cæli terrebere vultu,
Signa Crucis postquam cervici impresseris altæ.
Et sua templorum quoties penetralibus imis
Relligio solito peraget mysteria ritu,
Cælestésque epulas pateris libabit, & auro,
Omnibus alma dabis Crux prima exordia sacris.
Ut te ergo lignum terris, Erebóque verendum,
Ut fidens promptúsque animi, te pectore toto
Amplector, tanta humanæ quæ commoda genti
Adportas, miseris mortalibus utilis arbos.
Unica tu generi spes & fiducia nostro.
Nec mihi flammifero Hebræus super æthera curru,
Se raptum ostentet Vates, cælóque receptum.
Posthac per te unam fas aspirare beatis
Sedibus, & cæli summa in statione locari.
Numinis æterni nam conciliare favorem
Sola potes, justósque animi compescere motus:
Cùm suprema dabit mortalibus, ore tremendo,
Arbitria, inque hominum vitas & crimina quæret
Exactor, mundúmque ardenti è nube nocentem
Armatus flamma damnabit vindice Judex.
Tunc Vatem, Crux alma, tuum, Vatíque fideles,
Qua virtute potest, spero, servabis amicos:
Lamoniam imprimis, tu diva, tuebere gentem,
Unam præ cunctis studio pietatis avitæ
Insignem, sempérque aras defendere promptam.
Felix illa domus, si partos inter honores,
Tuta patrocinio Crucis, & morientis IESU,
Pergat uti cœpit jamdudum insistere rectos
Virtutis calles, miserorum intenta saluti.
Felix ipse, caput præclaræ nobile gentis,
Si quando, dum regna fori imperiosa gubernas,
LAMONIDE, & solio leges moderaris ab alto,
Ipse Crucis sacros numeraberis inter amantes.
Nâmque tuus, nec honos tibi, nec tua purpura tantùm,

Non generis prisco veniens à sanguine splendor,
Non ea quâ populum, non quâ tibi gratia Regem
Concilias, non quæ memoranda oracula reddis
Sublimi è solio, fandi non maxima virtus,
Non reliquæ, quarum magna est tibi copia, dotes
Profuerint: quantum morientis gratia Christi,
Atque bonæ te sancta Crucis tutela juvabit.
Cætera námque tibi plausus famámque merebunt,
Replebúntque tuas auris popularibus ædes:
Crux dabit una tibi vitæ immortalis honorem.

SIMEONIS DE CHRISTO

VATICINIUM.

CARMEN IN FESTUM

VIRGINIS PURIFICATÆ.

QUALIS olor moriturus, ad udi nota Caystri
Littora, funereis ripas implere querelis
Dicitur, & cantu mortem celebrare supremo:
Sic annis quondam gravis, & tardante senectâ
Longævus Simeon, divino numine plenus,
Et pactæ dudum expectans promissa salutis
Pignora, fatidicas, ipso sub funere, voces
Vulgabat populis, & Christi facta canebat.
Fortè quaterdeni jam partu Virgine Matri
Perfunctæ, de more ierant ex ordine soles:
Et jam legali virgo purgata recessu
Conjuge cum sancto natum ad delubra ferebat,
Torquatas aræ imponens pro lege columbas.
Stabat candenti præcinctus veste Sacerdos
Sacra ferens superûm Regi, sanctámque parentem
Hebræas inter matres cum prole piabat.
Et jam devotas acceperat ara palumbes;

Cum nato purgata parens ad tecta redibat,
Cui curſu Simeon redeunti occurrit anhelo
Feſtinans, altóque trahens è pectore vocem:
Quanta moves, inquit, mulier præſagia menti
Túque, puérque tuus! video fata, horrida fata,
Sanguineóſq; enſes. Simul hæc, ſimul alta repreſſit
Ora ſilens mœſtúſque; rogat virgo ipſa ſilentem.
Effari, quæ fata velit, quos nuntiet enſes.
Tum vates quamvis illum res ipſa ſilere
Invitet, timeátque ipſam abſterrere parentem,
Dicam equidem, nec te tanti violentia fati
Vincat, ait, natum patri fatíſque remitte.
Nam qualis ſæpe in caſtris armata juventus
Intenta expectat ſignum, volat acta per auras
Glans crebra in metam, vel torto ſpicula nervo:
Sic erit ille tuus quondam puer, omnis in illum
Telorum effuſis tempeſtas ibit habenis.
Jámq; incenſum odio, ardentémq; furore tyrannum,
Tortorúmque manu ſcelerata ſub arma coactas
Betlemiam paſſim video volitare per urbem
Undique confuſæ reſonant rumpentibus ædes.
Infantum lacrymis, & fœmineo ululatu.
Heu fuge crudeles terras crudelia regna
Nate Deâ, te tela petunt, tibi funera portant,
Túque ô ſancta parens natum his natum eripe telis.
At vos per noctem monitis cæleſtibus acti
Ad ſeptem gemini properabitis oſtia Nili,
Vix fiſi tenebris, & furto noctis opacæ,
Omnes per ſilvas foliis trepidantibus auræ
Terrebunt pavidos, & nato cuncta timentes.
At poſtquam dederit vobis Ægyptia tellus
Fatale hoſpitium, atque Phari vos rura tenebunt.
Proh! quanto virgo infelix turbabere luctu:
Namque Deûm monſtra omnigenûm, & latrator Anubis
Eripient nato reddendos thuris honores.
Plebſque omnis ritus ſua per delubra profanos,
Diráque perficiet patrio myſteria ſiſtro.

Sacra hæc, credo equidem, mentem ſcelerata movebunt,
Durate, & tantum placidi perferte dolorem
Olim tempus erit, melior cum Memphis, & ipſa
Templorum ritus alios, moréſque ſacrorum
In melius verſis tellus Ægyptia fatis
Inſtituet: quos ah! cultus tum læta ſacrabit
Religio, quos & ritus altaribus addet
Ibunt ſolivagi longa in deſerta, profundis
Aſſueti ſilvis pueri, innuptæque puellæ,
Atque Sacerdotes longis jejunia ducent
Solibus, & nudâ in noctem tellure cubabunt.
Fama Paleſtinum tulerit cum nuntia regem
Perfunctum fatis, & acerba morte peremptum,
Cæleſti monitu Phariis excedere terris
Maturate ambo, ſceleratam linquite gentem,
Linquite monſtriferi ſeptemflua flumina Nili.
Poſt varios iterum caſus vos patria tellus
Accipiet reduces, & tectis læta fovebit,
Nazareóſque lares, parvámque videbitis urbem.
Hîc conſanguineos inter, populúmque fidelem.
Vobis parta quies, & in arctis otia rebus.
Alter ab undecimo natum cum ceperit annus,
Vos urbem ad Solymam ſolenni morte vocabit
Paſchæ feſta dies, agníque epulanda bidentis
Viſcera, cognatæ ſocio ſimul agmine gentis
Stipati, patrias natum ducetis ad aras.
Demum perfecto ſacrorum munere læti,
Cum cælo piceas nox acta reduxerit umbras,
Atque labore viæ feſſos domus hoſpita tectis
Ceperit, hoſpitio proles amiſſa parato
Ah! deſolatam deerit fruſtrata parentem:
Tum tibi tam triſtis caſûs fatalis imago
Confuſam eripiet mentem: quo turbine rerum
Anxia turbabunt diverſi pectora motus?
Heu matri natus fatóne ereptus amanti
Subſtitit, erravítne viâ, laſſúſve reſedit,
Incertum, quos mœſta parens abſente dolores,

Pro nato accipies: fido cum conjuge quando
Térque quatérque viam repetens clamore replebis
Te miſeram incuſans, duro jam nulla labori,
Nulla quies curis, gemitu per compita multo
Pérque domos notas, & per diverſa locorum
Hoſpitia, atque vias animi irrequieta redibis.
Qualis ovis fœtu amiſſo balatibus implet
Rura ſuis, notum reſpectans crebra recurrit
Ad ſtabulum, totóque gregem perluſtrat ovili.
Illam non liquido quæ vallem interfluit unda
Flumine, nulla novo canentia rore morantur
Gramina, non ramis denſæ frondentibus umbræ.
Quamquam autem natus genus alto è ſanguine regum
Deducat, ſeriémque antiquam oſtentet avorum,
Ipſum etiam regem, per tempora longa juventæ
Hunc lare privato vilis fortuna tenebit
Obſcurum, & victum multo ſudore parantem,
Cæleſtéſque manus, opera ad fabrilia dantem.
Credo, mater, erit pars non poſtrema doloris
Illa tui, natum quando ſpectabis egentem,
Dignum cui late ſubjectus pareat orbis.
At non ille domo, patriæ non mœnibus urbis
Prodibit, luci coram oſtendendus apertæ,
Quin prius horrenti ſe longe abſcondat in umbrâ
Solorum nemorum ſilvis effuſus opacis.
Hîcque quaterdenis jejunia longa diebus
Perferet, atque ſitim nullo ſolabitur æſtu.
Intereà trepidi vatúmque urgentibus omnes
Perculſi monitis manes Acheronte revulſo
Turbantur latéque omnis conterritus orcus
Secum agitat, quâ vi contra, quo prodeat aſtu
Ipſe autem ante alios vallis regnator Avernæ
Vatibus oſtenſum ſacris ratus affore tempus,
Quo Deus inferno vindex ſuccederet orbi,
Atque domos Erebi penitus reſeraret opertas,
Sollicitus partes animum verſabit in omnes:
Si qua forte ſuo tam magnam avertere cladem

Poſſit ab imperio, tenebroſáque regna tueri.
Ergo illum tentandum aſtu, inſidiiſque petendum
Dum tendit, rugas mentitus fronte ſeniles,
Ipſe ſuum urgebit ſecum concurrere regem.
Eſt in deſerto vallis ſecreta profundo,
Obliquo anfractu, quam denſis frondibus atrum
Urget utrimque nemus, nemoris de colle volutus
Saxoſúmque ſonans it rauco murmure torrens,
Anguſtique tenent aditus, calléſque maligni.
Illo Tartareus ſummo cum numine princeps,
Vana fremens quondam audebit decernere campo.
Cæleſtes tanto attoniti certamine manes
Hærebunt, animis tantíne nocentibus auſus?
Offeret ipſe Deo lectos torrente lapillos,
Unde laboratæ Cereris ſibi munera curet,
Atque dies ducta in longos jejunia ſolvat.
Tum raptum in nebulâ, medio feret aëre ſeptum,
Collem in longinquum, & ſummo ſub monte locabit,
Unde omnes regnorum & opes, & ſceptra ſuperba
Spondeat, æthereo ſi ſe pro numine adoret:
Demens! ipſe ſuum tendat qui fallere numen.
Hîc Mater generoſa meis ignoſce querelis:
Quid divine Puer poteris committere tantum?
Ut tua Tartareo te te fortuna tyranno
Infamem in pugnam opponat: tantúmne licebit
Prædoni de te infido, qui ſedibus exul
Æthereis, patriíque olim deſertor Olympi.
Exigat immanes æterno in carcere pœnas:
Noctis ubi horrendæ pavor, inferníque tumultus.
Pugnarum tamen hæc & erunt, Puer alme, tuarum,
Clara rudimenta, hoc primum exercebere campo.
Sed quid ego reliquos nati memorare labores
Perſequar, in populum ſe quando oſtendere coram
Incipiet, numen factis, verbiſque profeſſus.
Quas furias, quæ non odia impacata ſuorum,
Quos non ille feret malefidâ à plebe furores?
Quæ dum dira fremet necquicquam, & ſaxa parabit;
Ille cavam objiciet ſacro pro corpore nubem.

Et dum Sydoniam ſerâ ſub nocte per oram
Feſſus iter feret, hunc faſtus induta ſuperbos
Gens tectis abiget longè, hoſpitiúmque negabit.
Fruſtra illum orabunt ſocii, infenſique monebunt:
Contemptum populi porro ne duret inultum:
Mœnia ſed ſubitis diſturbet inhoſpita flammis.
Ipſe autem attonitam monſtris dum grandibus urbem
Implebit, patriæ primores gentis, & ipſos
Deinde magiſtratus in ſe patietur acerbos,
Qui triſtis ſtimulo invidiæ, & crudelibus omnes
Inſtabunt violenti odiis, pœnáſque repoſcent.
Seu legem antiquam, veterúmque edicta refigat.
Multi etiam nato objicient pro crimine magno
Quod non vitabit menſas, cœtúſque nocentûm.
Nam ſi quis totâ paſſim graſſabitur urbe
Inventor ſcelerum, aut legis contemptor avitæ:
Si qua fidem thalami mulier, ſanctóſque hymæneos
Fœdarit; ſi quis furto lætatus iniquo,
Illos præ reliquis in primis creber adibit
Virtutum hortator, verbíſque monebit amicis
Diſcere juſtitiam, & rectos inſiſtere calles.
Quam gravia ille autem, perpeſſúq; aſpera quondam
Perſtabit durare, ſuâ pro gente, quibúſve
Sacra exercebit quàm crebris pectora curis.
Ut ſi quis, ſi paſtor ovem de millibus unam
Amiſit, per agros, aut montes forte per altos
Errantem, & ſeræ oblitam decedere nocti:
Illam per rupes, & per prærupta locorum,
Per nemora & ſilvas, ventos perpeſſus, & imbres,
Avia per deſerta, & arundiferas convalles
Veſtigans, omnes implet clamoribus agros
Nec mora nec requies, pecudem quin deinde repertam
Impoſitámque ſuis humeris ad ovile reducat.
Cætera quid memorem nato patienda, quid omnem
Quos feret, exponam numerum, ſeriémq; laborum?
Ut contra jactanda malæ convitia plebis,

Et famulis habitos ſummo de numine riſus,
Præteream, quando longè graviora ſuperſunt.
Cui Mater. Nam quæ me autem ad graviora reſervas,
O Pater, aut poſt hæc nato quæ denique reſtant.
Sic Mater: Matri vates ſic deinde locutus.
Hîc animos, omne hîc animorum collige robur.
Non erit illi unquam Matri par pœna, neque ulli
Par fatum nato, ſed tantum, virgo, dolorem
Perturbata omnis rerum natura dolebit.
Tu Sol, túque ô Luna tuos teſtabere luctus!
Quin etiam toto pallebunt ſidera cælo,
Supremos nati ex alto miſerata labores:
Ipſi etiam montes, ſaxa ipſa, immania ſaxa,
Ipſi turbato manes Acheronte refuſi,
Triſtia per ſe ultro morituri funera nati
Mœrebunt; ſed jam mentem confundit imago
Iſta meam, melius tibi res ex ordine pandam.
Principio Solymam veniet mactandus in urbem
Cum ſociis, & per carum prodendus amicum.
Oſcula amicitiæ quondam, tunc ſigna nefandæ
Proditionis erunt, comitis quod crimen avari
Patrabit, ſed non turpi lætabere facto
Quiſquis eris, meritus rumpet tua guttura funis.
Vos ô! Getſemani colles, túque herbifer hortus
Montis Oliviferi, ſacer ah! locus! O ubi veſtram
Quis mihi monſtret humum Chriſti de fletibus olim
Rorandam! Nam prima Dei luctantis arena
Hæc erit, hæc ſeries pœnarum longa redibit
Sub monte oranti, veniámque à patre roganti.
Hîc ferrum, & funes, & acerbæ cuncta videbit
Inſtrumenta necis, ſceleratáque probra malignæ
Plebis, & inſanos furioſi militis auſus.
Sic dorſo infligent palmas, ſic vincula nectent,
Et tot tranſadigent támque altè in tempora ſpinas.
Quæ dum cuncta ſuo triſtis ſub corde revolvet,
Juxta ſanguineo tellus ſudore madebit.
Sed jam per montem latè glomerata propinquum,

Arma ſonant, crudóque volat gravis ære Satelles.
Vincula jam tendunt capto, multóque per urbem
Certatim vinctum læti clamore ſequuntur.
Proh ſcelus infandum! Summi moderator Olympi,
Cui mare, cui tellus, cui paret maximus æther,
Ille Deus magno toties datus arbiter orbi,
Judicis humani per ſe ultrò injuſta ſubibit
Arbitria, injuſtæ leges, indignáque jura!
Non ego Pontificúmq; minas, faſtúſq; ſuperbos,
Non probra Romuleus quæ per prætoria miles
Plurima jactabit, non vulgi verba procacis,
Non comitum turpémque fugam, vanóſque pavores
Hîc repetam, laceróſque flagris immanibus artus,
Perfoſſúmque caput ſpinis, non ſanguine dicam
Undantes latè fœdata per atria rivos,
Non illudendum Regem, juncóque paluſtri
Regali quondam pro pompâ, oſtróque rubenti
Ornandum, & ſtultæ dandum in ludibria plebi.
Occupat una meam rupes Calvaria mentem,
Crux tenet una meos ſenſus. Te ne optime rerum:
Infœlix nimium ah Solymæ & cognata propago
Te poterit fixum infami diſtendere ligno!
Te ne ah! tam turpi pœnas expendere letho,
Et medium geminos inter pendere latrones
Inſontem genitrix unquam mœſtiſſima cernat.
At non diva Parens, non te tam triſte movebit
Supplicium, quàm cum natum furioſa ſuorum
Circunſtare odia, & totum fremere undiq; montem
Aſpicies diris clamantûm, & acerba furentûm.
Non tamen illa animum, Mater, perturbet imago:
Crux eſt in votis puero vix pene bimeſtri:
Crux erit in votis creſcenti, annóſque morantes
Increpitans lentos ah! Soles ire dolebit.
Dum loquor immani rumpuntur ſaxa fragore:
Terrifici fulſere ignes: & conſcius æther
Triſte ſui expavit fatum rectoris, & altæ
Nocte atrâ cælum tenebræ eripuere profundum.
Inde tamen ſperanda ſalus mortalibus ægris.

Virgo

Virgo tuo quod erit ſolamen grande dolori:
Proinde patri jam natum ultrò, fatiſque remitte.
Hæc cum dicta dabat, media inter talia, blando
Ore Puer riſit vati, mœſtæque Parenti.
Non tamen is potuit Matris lenire dolorem
Riſus, ei rupto cœperunt lumina fletu
Turgere, & largis latè decurrere rivis.
Cui vates: Mater lamentis parce, neque iſtum
Invideas nato tam magnæ laudis honorem:
Quando pro totâ communis victima gente
Effuſo vitam cum ſanguine ponet ad aram,
Sanguine quo totus demum purgabitur orbis.
His dictis tenuit lachrymas, animúmque recepit
Virgo, vovénſque ſuos, jam pectore fortis, amores.
Nos quoque, ait, nos partem aliquam juvat eſſe tuorum,
Quando id fata ſinunt, ô dulcis nate, laborum.
Hoc Genitor velit, & fatum commune repoſcat.
Vos templum, atq; aræ (templum monſtrabat, & aras)
Audite hæc, teſtéſque meis aſſiſtite dictis.
Hunc ego, quem lapſæ antiquo pro crimine gentis
Fata petunt, mortíque pater jam deſtinat atræ,
Hunc natum, caros afflictæ matris amores
Devoveo, & Matris jus, imperiúmque repono.
Hæc effata, imis durum tamen artubus omen
Contremuit, pérque ora pavor turbata cucurrit.
Contremuere ædes: quin motis cornibus ara
Horruit; & magno ſonuerunt templa fragore.
At vates animum Matris miratus, & ipſum
Numinis excepti ſecum gratatus honorem,
Hac vixiſſe tenus licuit, quid demoror ultrà
Funus, ait: Manes perfunctum morte paterni
Me ſocium accipiant, & jam non lucis egentem.
Quando fas lumen coram ſpectare paratum
Gentibus, & mundo oſtenſam populíſque ſalutem
Sic ait, & cantu moriens ſua fata ſupremo
Cygnorum de more ipſas celebravit ad aras.

MATER
IMMOLANS NATUM.
CARMEN IN FESTUM VIRGINIS PURIFICATÆ.

VIRGINEOS partus lustrali lege piatos,
Purgatámque ulla thalami sine labe parentem
Et numen damnatum aris, hominúmque solutas
Carmine fatidico magna in præsagia voces.
Aggredior. Tu Virgo parens tua maxima quando
Quæ canimus, sunt facta, fides ne forte laboret,
Adsis ô sobolísque tuæ rem numine firma.
Seu te legalis perfunctum rite recessu
Tendentémq; viam, & Solymæ tecta alta petentem,
Seu sacris in templi aditis discrimine nullo
Matribus Hebræis permistam, uterúmque piantem,
Seu natum templo portantem, arísque voventem
Dicere contingat, sint omnia virgine digna.
Sed jam Bethlemiæ pulsatæ carmine rupes
Dant sonitum cælo ingentem, Jordania totis
Flumina persultant ripis, Solymæa canenti
Templa sonant, latéque omnis responsat Idume.
Jámq; iter ingressam, sancto cum conjuge, Matrem
Aspicio, sacrósque Deo plorante, per auras
Audio vagitus, cælestes agmine longo
Aspicio circum aligeros, sequor omnia tanta.
Est delubrum ingens Solymæ sub mœnibus urbis,
Quod primi posuere patres, quando hoste repulso
Telluris longum ostensæ, rerúmque potiti
Publica tranquillæ libarent munera pacis.
Ardua perpetui vasto munimine valli
Erigitur cælo moles, quæ pariete quadro
Præruptum montem includit; nam monte sub ipso

Optarique locum, fundaríque aggere ſedem
Principio eſt viſum, ſummáque ſub arce locari.
Mons adeo adducta in planum tellure, per amplum
Æquoris effuſus ſpatium, latera undique tollit
Quadratæ in morem turris, quantumque ſub auras
Tenditur, in præceps tantum deſcendit, & alto
Vertice ſubjectam deſpectat plurimus urbem.
Impoſitum gradibus ſurgit ſublime ſuperbis
Limen, iter partes templi quo fertur in ambas
Ærati circum vectes, duratáque ferro
Robora, pendentes ſtridenti in cardine valvas
Attollunt, cælo ad lævam ſe fundit aperto
Circumquaque patens, nudóque ſub ætheris axe
Planities, tectorum alto circumdata ductu.
Sexaginta intus famuli, qui ſacra miniſtrent
Pérque vices anni certas oracula reddant.
Sanctius inde adytum dextram tenet, inclyta ſacris
Et donis opulenta domus, Libycóque elephanto
Pone latet ſacri arcanum penetrale receſſus,
Unde Dei reſponſa ſonant, diſcrimine longo
Stat procul attonitum vulgus, numénque pavendum
Supplicibus votis ſecreta è ſede precatur,
Celſa ubi ſe in quadrum dimenſa per atria fundit
Porticus, eductis cælo ſuſpenſa columnis,
Qua populus cum ſacra facit, ſe deinde receptet
Si fors triſtis hyems, aut horridus ingruat imber,
Aut importuni maleſano ſole colores,
Planitie altare in media ſua cornua tollit
Æratum, ſublime, ingens, ubi ſanguine fuſo
Mactatæ fumant pecudes, buſtóque perenni
Sacra immortalis vivunt incendia flammæ.
Huc omnis populíque manus, patréſque verendi
Confluere, & superûm veniam expugnare precando.
Hîc functæ partu matres luſtralis obibant
Officium ritus, hac ſe ſtatione tenebant.
Tu quoque quamquam omnis vitii ſincera, neque ullas
Paſſa vices thalami, quidquámve experta maritum,

Diva parens purganda venis! qua purius unquam
Nil fuit, illimes, non qui per ſaxa volutus
Rivus agit limphas, non qui lucentibus ardet
Per tenebras radiis ſtellarum argenteus ordo.
Ecce autem matrum in turba dum ſtaret ad aras,
Et ſolitum offerret virgo pro pignore munus,
Unum par volucrum (ſic lex Hebræa ferebat)
Forte aderat, juxtáque aram tardante ſenectâ
Aſtabat Simeon, qui plenus numine Divûm
Averſatus opes, & mollis commoda vitæ
Templa frequentabat, monſtratáque gaudia terris
Sperabat fidei intrepidus, pactámque ſalutem
Expectabat ovans animi, populóque canebat.
Nec ſe fatales leti prius ire ſub umbras
Audierat, tardámque annis abrumpere vitam,
Quam ſperata orbi promiſſæ munera lucis
Tum demum, ſenio nequicquam urgente, videret.
Ille ubi ſacra ſtetit divinæ ante ora parentis,
Puráque virginei reſpexit lumina vultûs:
Conſpectu populi in medio ſtupefactus & ardens
Clamabat, cælóque manus cum voce ferebat.
En ſua fatidicis conſtant oracula dictis
Abſolvúntque fidem, ſimul hæc, ſimul impiger ibat
Ad Matrem, Puerúmque ſinu tollebat, & altam
Intendens vocem, tales dabat ore loquelas.
Expectata Dei ſoboles deſcendit Olympo,
Unde ſalus populorum, & puræ lucis origo,
Hic Puer, hic ille eſt, ſeris quem fata ferebant
Temporibus venturum orbi, legéſque daturum,
Illum Thariades genitor, qui pectore duro
Spem generis totam in nato obtruncabat ad aras:
Ni dextram in vulnus pendentem, & ſumma parantem
Librato æthereus Puer avertiſſet ab ictu.
Illum & thariadæ ſoboles ſpondebat, & acer
Luctator ſuperûm Iſacides, qui fortibus auſis
Nocturno obnixum tulit in certamine numen.
Illum omnis patrum ſeries labentibus annis

Venturum, illum omnis vatum prædixerat ordo.
Hoc unum cuncti optantes, unúmque precati,
Ut quondam nemore in magno cum nocte ſub alta
Turba viatorum longis erroribus acta
Per ſentes, per teſqua, per & prærupta locorum
Induxit ſeſe paulatim, ſidera cælo
Veſtigat late explorans, lucémque requirit
Nequicquam, nox atra tegit, nubéſque profundæ.
Aſt ubi vel primo perſtrinxit lumine cælum
Orta dies, lucem inclamant, lucémque ſalutant
Optatam lucem, plauſu nemus omne reſultat.
Sic mundo ſperate venis, certiſſima gentis
Gloria Abrahamiæ, & ſummis ſpes unica rebus.
Tu magni obductum reſerabis limen Olympi,
Æternáſque domos, nóſque in tua regna vocabis
Lux idem lucíſque author, te fracta pavebunt
Tartara, te triſtes umbræ, Manéſque profundi
Te dominum accipient, cælóq; erebóq; potentem.
Talia jactabat, verba inter ſingula fletus
Abrumpens, Puerique oculos miratus, & ora
Oſcula libabat lachrymans, vultúſque rigabat.
Agglomerat ſeſe circum multo agmine vulgus,
Matres & pueri atque omnis Jeſſeia pubes,
Et fuſi circum aſſiſtunt, gaudéntque tueri.
Adfuit ante alios ſerâ qui nocte capellas
Servabat vel oves, aliquis de gente Menalcas,
Cantantem aligerum quando per paſcua turbam
Audierat, tenues primum cum venit in auras
Divinus Puer, & noſtros deſcendit in artus;
Ille autem narrabat uti, lux plurima cælo
Viſa ſub obſcuram noctem, juvenéſque per umbras
Auditi, feſtos in cælum tollere cantus
Atque laboranti pacem portendere mundo.
Pars quoque ſpectantum Licidas fuit: ille Mariam
Joſephúmque frequens viſebat in ædibus arctis,
Multáque de Puero, de Virgine multa rogabat:
Hunc olli vicina domus permiſerat uſum.
Ille adeo claros proceres ductantibus aſtris

Narrabat vidiſſe, externo à Sole profectos,
Et populos ſeſe peregrina in veſte ferentes.
Dona dehinc aura congeſta, & ditis odores
Arabiæ, liquidam ſtactem, lachrymoſáq; myrrhæ
Fragmenta, & triti divinos thuris honores
Portaſſe, ac Puerum pariter, paritérque Parentem
Obſequiis inſtar famulantum, & ſupplice cultu
Promeritos, atque officiis certaſſe priores.
Vix ea finierat, cum circumfuſa repente
Plebs fremitu plauſúque ruit, corámque videre
Ardet inexpletum exultans, juvat uſque morari,
Et tali enixam gratari prole parentem.
Quis tibi tum ſenſus, lætæ quæ gaudia menti
Diva Parens, quales agitabas pectore motus?
Sed tibi (proh rigidæ dura inclementia ſortis)
Illa omnis tibi, Virgo, brevi eripienda voluptas:
Poſcentíque Puer ſiſtendus victima Patri,
Túque eadem natum genitrix, eadémque Sacerdos
Crudelem ſuperum monitu damnabis ad aram.
Tempus erat cum jam ſacris altaria flammis
Rite inſtaurantur cunctis pro lege diebus.
Nam populi pro criminibus de more piandis
Publica ſolemnes fumabat victima ad aras.
Jámque Sacerdotes veniebant ordine longo
Simplice velati lino, flammáſque ferebant.
Pars puros fontes, cæſi pars exta juvenci
Portabat, pars multa Deo dicebat honores,
Carminibus patriis, longe atria pulſa ſonabant.
Vix compoſta aræ ſubjectos ceperat ignes
Victima, confuſo ruit omnis turba precantum
Agmine: tum pacem tota pro gente Sacerdos,
Pacem omnes orant alii, fuſique per aras
Viſceribus toſtis placatum numen adorant.
Mox ubi ſupremas perfecto munere voces
Sacrorum Antiſtes ſolemni more locutus:
Turba omnis templo abſiſtit, funduntur apertis
Agmina porticibus, dein ſeſe quiſque recepit.
Interea ſurgit Simeon, qui Virginis almæ

Hærebat lateri affixus, cœpítque profari :
O mulier (pariter Virgo ſurgebat, & unâ
Attollens Puerum vati oſtendebat) at ille
Quanta moves pavidæ mulier præſagia menti
Túque, Puérque tuus ? nec plura effatus, acerbam
Turbatus vocem medio in ſermone repreſſit,
Tum Virgo. Quæ tu mœſtæ funeſta Parenti,
O Pater, aut charæ narras præſagia proli ?
Quidquid id eſt, durum fuerit licet, omnia pridem
Verſando mecum exegi, me nulla malorum
Quamquam animi interdum trepidam, ſobolíque timentem
Terruerit facies; quæ ſint fatalia porrò
Quæ ſurgunt animo præſagia, dicere coram
Ne dubita ? Nam me plus ipſa ſilentia terrent :
Sic Mater, Matri ſic vates deinde locutus
Hoc equidem rebar partu connixa pudico,
O genitrix ? Et te quæcumque in fata paratam
Credideram : nec me ignarum ſpes vana fefellit,
Nec celare tuæ ſobolis funeſta parabam
Fata, Parens, de te quicquam quod molle vererer.
Non ea præſagæ fuerat ſententia menti,
Ipſe meus vocem preſſit dolor ! O tibi quanta
Fatorum incumbit magno quam pondere moles !
Et niſi divino firmaret robore pectus,
Atque novas vires cælum adderet, ipſa dolorum
Turba, tuam, Virgo, quantum fors cunque reſiſtat,
Adverſúmque omnes tollat ſeſe ardua caſus,
Ipſa tuam opprimeret virtutem turba dolorum.
Námque ut ſolemnem populi pro crimine ad aram,
Vidiſti dura mactatum cæde juvencum,
Sic natum Mater crudeli morte videbis
Pro populo pœnas dantem, fuſóque cruore
Purgantem humanam, per ſæva piacula, noxam.
Jámque dies leti cælo rata, jámque nefandæ
De ſignata neci, Libano ſub monte, cupreſſus
Fatales tendit ramos, ſublimis in auras
Pendeat unde tuus quondam Puer, & latus ictu

Persossum ingenti populis ostendat, acerbæque
Inclinet cervicem altam sub pondere mortis,
Nam neque divinum genus, & cælestis origo
Fatorum legem avertet, certissima proli
Quod minime reris mors, cælo autore, paratur.
Túq; ô diva Parens, quanquam alto vulnere pectus
Trajiciat dolor, & torta seu cuspide adactus
Intima descendat rupti in penetralia cordis,
Quamquam omnem se cruda modum tormenta, fidémque
Attollant longe super, omniáque aspera vincant:
Pectore tu firmo, tormentis major, iniquam
Erecta adversus sortem constabis, ubi ingens
Perculsus casu horrendo turbabitur orbis.
Tu Sol, tu candens radiis ô Luna pavebis:
Atque operum testes tantorum sidera cælo
Deficient, mœstósque prement ferrugine vultus,
Tótque inter rerum motus, cælíque fragores,
Illa omnis sors dura tibi superanda ferendo est.
Possum alios super atque alios narrare labores,
Ni refugis, sortísque piger meminisse nefandæ.
Nam gravis impendet series, & longa malorum
Tum Virgo! quæ me porrò ad majora reservas
Divine ô Vates! quid enim mihi durius unquam
Contingat (mi Nate) tuæ quam mortis acerbum
Omen, & indignæ tam tristia nuntia sortis?
Sed mihi crudelis leti prius omen, & ipsum
Letum (oro) tota incúmbat cum mole dolorum,
Ante tuos possim quam (dulcis Nate) labores
Aspicere his oculis, aut te te cernere coram
Infami trabe pendentem, summósque cientem
Pectore singultus, & fata inhonesta ferentem.
Si tamen humanæ forsan reparanda ruinæ
Damna animam repetant, tota pro gente, litandam,
Hanc habeant, in me ruat omnis turba malorum:
Tantum indigna meus fugiat discrimina Natus.
Et si quid nostra demum pro clade luendum est,
Ipsa luam. Instabat porrò, & sors plura parabat

Cum vates, absiste, inquit. Nam tendere contra
Supremos cæli monitus, & jussa tonantis
Detrectare nefas: læso pro numine numen,
O Mater! damnandum aris animáque litandum
Divina, sic fata ferunt, hoc poscit Olympus:
Ne tantis proinde imperiis parere recusa,
Cede Deo, dixit. Tremere omnis visa repente
Attonito cum vate domus, perterrita Mater
Extemplo supplex in humum ruit, oráque cælo
Et charam attollens sobolem, sic deinde profatur.
  Summe Pater, quocunque vocat divina voluntas,
Prompta sequor, nec jam monitis parere recuso.
Si tantum potuit generi indulgere suorum,
Natus, ut exitio, & fatis communibus unus
Se daret hanc ne suæ ut proli laudem invida Mater
Præripiat, summóque Patri, fatísque resistat.
I, potius duros contra tu Nate labores
I, morere & . . . medio vox gutture pressior hæsit
Septa inter fortémque ausum, nimiúmque dolorem.
Pene adeo jam victa animi restabat, at altus
Urgeret quamvis dolor, & penetralibus imis
Fluctantem animam morsu exerceret acerbo:
Illa tamen magno abrumpens conamine vocem
Vocem interceptam, nimióque dolore repressam
I, morere, i, mi Nate, inquit, Patríque supremo
Et fatis te redde tuis? Quæ pectore firmo
Quanquam effata: tamen durum imis artibus omen
Expavit, pérque ora tremor turbata cucurrit.
  Nec minus interea vates oracula Matri
Cætera pandebat, primis quam dura sub annis
Tempestas Puero ingrueret, quam sanguine multo
Quæsitus patrias deberet linquere sedes,
Tum Nilum exilio peteret, quos deinde labores
Quos quanto rerum pateretur turbine casus
Utque omnes unum contra se tollere, totis
Viribus obnixi instabunt, cæcóque furore
Illius exitium jurati extrema parabunt.
Qualiter exortum verno sub sidere solem

Horrentes atra cum tempeſtate procellæ
Tollentem ſeſe, ac roſeo ſplendore micantem
Involvunt nocte ingenti, & nigrantibus umbris,
Tum violento omnes, per cælum, turbine venti
Certatim inſiſtunt glomeratis undique nimbis
Mille unum adverſus tendunt ſe nubila ſolem.
Talia divino fundebat pectore vates,
Triſtiáque infantis narrabat fata parenti,
Cum Mater ceu jam non Mater, nulla dolorum
Vis objecta, inquit, natum tardaverit, omnes
In caſus animo ingenti fortiſſimus ibit.
Túque adeo ſupreme Pater ſententia quando
Illa ſedet, Puer ut fatis jactatus iniquis
Triſtia funeſtæ ſubeat diſcrimina ſortis:
Hoc tu deinde ratum, teneas cum Matre, neq; ullo
Aut nato, aut Matri indulgens averte labores.
Nil ego pro Nato jam deprecor, omnis in illum
Tempeſtas ruat, atque atro ſe turbine vertat.
Mille illum pœnis, & mille doloribus aræ
Devoveo, charâ jam facta è Matre Sacerdos.
Hæc invicta animi dicebat Mater, & ora
Tollebat cælo exultans, aráſque tenebat,
Quin etiam teneram firmato pectore prolem
Jam divina ſuper Solymæi altaria templi
Ponebat, tales promens è pectore voces:
O qui ſupremo rerum momenta gubernas
Imperio (Pater alme) tuis en ſiſtitur aris
Victima, cui totus terrarum pareat orbis.
Háncque tibi, quanta eſt alto tibi pectore Mater
Immolat, & morti, ſi fas eſt, deſtinat atræ.
Tu triſte exitium, & clades abolere tuorum
Morte tua, jam Nate para? Sic funere magno
Sacrorum implebis divina oracula vatum:
Sic pacem referes mundo, populíſque ſalutem.
Tum forte in Solymis vates longæva trahebat
Deſertam thalamis, & dulci conjuge vitam.
Nam poſtquam primi fruſtratam morte mariti
Primus amor vacua tectorum in ſede reliquit:

Illa omnem porrò nexum aſpernata jugalis
Connubii, ſummi legem & mandata tonantis
Aſſiduo ſacrorum uſu, obſequióque fideli
Rite obſervabat: quin crebris ſæpe ſolebat
Muneribus meritos ſuperis impendere honores.
Illam prima dies, illam poſtrema videbat
Et pendentem aris, & templo vota ferentem.
Inque vicem obſequii, & ſervatæ ex ordine legis,
Huic quoque fatidica prævertere mente futuros
Eventus rerum dederat Deus, ipſáque genti
Pandere juratæ myſteria ſacra ſalutis.
Dúmque aris, populi antiquo pro crimine, Mater
Natum imponebat, templi in ſtatione reducta
Sancta orabat anus, ſed res objecta precantem
Terruit, & tanta ſacri novitate paventem.
Tum procul ô noſtris, inquit, quæ victima templis?
Qui ritus, quis rerum ordo, quæ ſacra parantur?
Sic effata, gradu ad Matrem tendebat anili,
Et ſimul augurium agnoſco. Sed parce moveri
O Mater: neu tu caræ crudelia proli
Fata putes, ingens clarabit gloria durum
Funus, & æterni venient à morte triumphi.
En erit illa dies totum cum fama per orbem
Téque tuámque feret, magno ſub nomine, prolem.
Nec jam mortem atram, nec triſtia fata pavebis,
Nam quidquid Nato dirum, aut immite paratur,
Quondam erit hoc omni clarum ac venerabile mundo:
Illum adeo ſpoliis olim Phlegetontis onuſtum,
Et victorem Erebi accipies, cælóque videbis,
Jam parta populis pro libertate, receptum
Hinc ſtellas, ſolémque inter ſublimis, in omnem
Jura dabit mundum, & rerum tractabit habenas.
Nec regni mors finis erit, nec terminus ævi,
Immortalis honos, regnum immortale manebit,
Nec jam cornigeri templis fumantia tauri,
Non tardos hirci ſpirabunt exta vapores,
Aut fuſo exundans adolebitur ara cruore.

Tu divine Puer, ſine fumo, & ſanguine, jugis
Victima ſolemnes mactabere Patris ad aras.
Inde tuum in populos, latè increbeſcere nomen:
Structáque candenti tibi ſurgere templa videbis
Marmore, & externas ſe paſſim ſubdere gentes.
Dúmque his afflictæ mœſtos ſolatur amores
Virginis Anna Parens, venturáque gaudia narrat.
Ipſa etiam monſtrata ſibi ſolatia Mater
Immolat, an quicquam Nato, inquit, dulcius unquam
Eſſe queat? Mea cum Nato ſolatia ad aras
Devoveo, cælóque meos permitto dolores.
Temporéque ex illo ſacris exercita Virgo
Rite ſuos cælo cum prole vovebat amores:
Et ſecreta animo faciebat ſacra ſub imo.
Donec ſupremo mactatus funere Chriſtus
Arduus, immani pendens ex arbore, vitam
Reddidit urgenti fato, fuſóque cruore,
Arboream eſt noſtro pro crimine cæſus ad aram.
Sed dum te cælo Natum, fatóque voventem
Dicimus, ac merito laudum celebramus honore
Diva Parens, factúmque ingens miramur, & altum
Prole in mactata, ac devoto in numine robur:
Nos animæ viles tanti turba æmula facti
Nos, ô Virgo, tuam communis victima ad aram
Proſtrati accidimus, noſtróſque vovemus amores.
Hoſtia ſi Patri Natus fuit, Hoſtia Matri
Quis noſtrûm (ô comites) eſſe abnuat? ô mihi tantus
Si contingat honos, ſacriſque altaribus ultrò
Damnatum accipiat Virgo, admittátque clientem,
Quanta meis demum ſuccedet gloria rebus.
Non mihi ſi pleno rerum ſe copia cornu
Oſtendat, jactétque ſuos fortuna favores,
Non ſi fama omnis popularem ſpondeat auram,
Aut Dominum mundo imponat, tibi fœdere certo
Æternos ſervire dies, & mente ſubacta
Virgo tuis malim mactari victima templis.

Fors

Fors erit illa dies, longo post tempore, tantum
Cum munus nostro tandem indulgebis amori.
Tum tibi divinos Virgo solvemus honores,
Effusi ante aras: tum se tibi pectore puro,
Parthenii pia turba chori sacrabit, & ipsam
Certatim instabit voti rea pendere vitam,
Ah felix nimium, si quondam ut cerea tæda
Perpetuis assumpta, tuo pro numine, flammis
Ardeat, atque tuam flagret hostia jugis ad aram.

SOLIS
IN AURORÆ SINU CONCEPTI
FABULA.
CARMEN RECITATUM
AD FESTUM
VIRGINIS ANNUNCIATÆ.

PRÆGNANTEM sole Auroram, fœcundáq; partu
Viscera ab æthereo, & puræ primordia lucis:
Unde suos oculis Titan ardentibus ignes
Extulerit, cæcóque dies se fuderit orbi
Ordiri est animus. Vos ô radiantis olympi
Lumina, vos vestrum deducite lumina vatem,
Nullus ubi signata notat vestigia callis,
Stellarum supra caput, astrorúmque labores,
Túque creatarum longe ô pulcherrima rerum
Candida lux, seu tu præclari filia Solis,
Sive soror, seu quoquam alio de nomine dici
Malueris, tu callem aperi, da tollere frontem
Splendores inter medios, solémque tueri
Venturum mundo solem, & durare tuendo.
Primam, opere in tanto, soboles Jessæïa partem

Una tenes. Unam ſpectant te carmina. Dúmque
Dicimus Auroram, te dicimus? O bona Virgo!
Divinum, quæ prima refers mortalibus ignem?
Tu lucis, quodcumque animo ſpiramus, & aura
Concilias? tu das ſolem, quo deinde recepti
In vitam ſumus; & patrias revocamur ad ædes
Proinde tuos Virgo vultus, tua lumina vati
Annue, ne quovis præceps offendat, & altum
Tentat iter dum muſa, viámque affectat olympo
Tu tentanti adſis, & ſe ſuper aſtra ferenti.
  Ante ſuos orbi Titan quam promeret ignes,
Aut Lunæ albentes vultus, aut ſidera cælo
Arderet: librata ſuo jam pondere tellus
Pendebat: ſed tarda ægro natura ſtupebat
Corpore, & obſcura tenebrarum in nocte jacebat.
Nondum annos rerúmque vices per tempora certa
Verſabat cælum: nondum prodire ſub auras
Audebant arcto vincti ſub germine flores:
Et nondum diffuſa comis errantibus arbor
Tendebat ramos, aut ſe ſublimis in auras
Tollebat, nulli vertebant arva juvenci.
Arebat tellus, victúmque inarata negabat
Tam duræ impatiens ſortis natura, pigróque
Victa ſitu, manibus ſuperos oraſſe ſupinis
Dicitur, & tales in cælum egiſſe querelas.
  O Pater! immenſum nam te dare jura per orbem,
Atque omni latè leges imponere mundo,
Et perhibent, & vera fides: quid lucis egentem
Uſque finis me quâque tuam, ſi credere fas eſt.
Nec ſum adeo imprudens rerum, quæ denique ſortis
Neſcia ſim noſtræ: nam me olim maximus æther
Optavit thalami ſociam, quem prole parentem
Feciſſem innumerâ, juratæ munera lucis
Si mihi deinde darent ſuperi, vel forte dediſſent.
Illa olim promiſſa dabas, hoc affore tempus,
Cum tenebris demum exemptæ, ſpirabile donum
Vitæ illuceret, nec Solem aut aſtra negares.
O mihi ſi demum ſuperi ſperata dediſſent

Lumina, felicis libarem gaudia vitæ.
Tum mihi res versæ in melius felicibus irent
Auspiciis, facili fluerent proclivia partu
Viscera, vitalésque venirent cuncta sub auras,
Tum varias species animantum uberrima tellus
Funderet, errarent virides armenta per agros
Tum pictæ cælo volucres plaudentibus alis
Et festo resonum pulsarent aëra cantu.
Squammiferúmque pecus pinnis spumantibus æquor
Finderet, ac toto gens luderet humida ponto.
Nam tibi quis meritos aris incendat odores,
Aut altas candenti ædes de marmore ponat?
Si lucem eripias mundo: quæ semina vitæ
Terrena contage hebetes diffundat in artus.
Unde animæ existant, & mentis vividus ardor!
Ni facias: nimio tellus oppressa fatiscat
Quippe situ, pessúmque abeat, victúsque ruinâ
Aut sidat sponte in sese, aut præceps ruat orbis.
Túque adeo (rerum nam te penes illa facultas)
Tantum averte nefas, & acerbis consule rebus.
Da lucem miseræ: da non indebita posco
Dona meis fatis: lucem sperare jubebas.
Talia perstabat lacrymans, planctúque sonanti
Crudelésque Deos, crudeliáque astra vocabat.
  Audiit, & totum quo numine temperat orbem,
Multa obtestantem firmat Pater. Ecce repente
Et tremere, & crebros æther flagrare per ignes
Visus, uti quassa cum nube, solutus in auras
It fulgor, longo signat se limite splendens
Sulcus, & ignito currit per nubila tractu.
Natura augurium agnovit, cui denique certam
Spem visæ inspirat lucis lætabile signum.
  Juppiter interea precibus mollitus, Olympi
Tecta aperit, superósque vocat, sedet ordine longo
Turba omnis, prima ante alios stat Juno dearum
Maxima, túque pater Pelagi Neptune, frementem
Qui premis oceanum: sequitur quam pulcher Apollo
Ardentes auro vultus radiatus, & igni

Non illi ſuperûm quiſquam ſe tollere contra
Audeat, & primas formæ non cedere partes
Eſt adeo præſtans oris, totóque decorus
Corpore: nec roſeos violarunt tempora vultus.
Parte ex adverſa Phœbo ſedet æmula Pallas
Patris amor, Patri longè gratiſſima Pallas.
Hanc perhibent ſacra Jovis è cervice profectam
Et galea inſignem, primùm veniſſe ſub auras.
Illa autem rerum cauſas prævertere ſecum,
Molirique animo non inſcia, mente ſagaci
Mens ipſa, inſtabat patriæ virtutis imago.
Adfuit & ſuperûm chorus omnis, defuit una
Idalius cum Matre puer, ſubmovit utrumque
Juppiter, haud illos rerum momenta ferebant.
Tum ſimul ipſe, ſimul latè omnis turba quievit.
O quibus æternas cælo deſcribere leges
Fata ſinunt, totíque ſuum jus dicere mundo,
Cælicolæ, quæ nos cauſa in commune vocarit
Concilium, paucis, animos advertite, dicam.
Ecce novo natura meum clamore fatigat
Numen, & optatæ poſcit commercia lucis.
Illa vices ſub nocte atra cauſatur iniquas
Et rerum ſortem immeritam. Nos tendere contra
Promiſſæque orbi producere munera lucis
Præterea, Parcæ prohibent. Nam debita Parcæ
Tempora complerunt: nùnc qua ratione quid urget,
Expediam Poſtremi habitat ſub finibus orbis,
Pura animi, polléńſque oris, flammáque rubenti
Picta oculos Virgo, genus alto à ſanguine divûm
Quæ trahat, Auroram primi dixere parentes.
Hanc demum venturam orbi, lucémque daturam,
Et parituram ægris pactos mortalibus ignes,
Ipſe olim fatorum author narrabat Olympus.
Tempus adeſt, quod fata petunt, momentáq; rerum.
Sed fors longævus quamquam id contendat Olympus,
Fatorúmque fides, ni numina veſtra ſecundent,
Ni ſuperi annuerint, fruſtra ſperaverit orbis.

Divinum quiddam eſt magis, ut ſine numine veſtro,
Lux detur : ni divûm aliquis deſcendat, & almam
Ipſe ſuo ferat ore diem, anguſtáque ſub alvo
Auroræ incluſus mortales duret in artus
Lucem immortalem, & moli ſe miſceat atræ :
Non ſua ſperanti conſtabunt lumina mundo.
Ecquis erit veſtrûm ſuperi, qui tanta gerendæ
Cœpta rei, nitidæque adeo primordia luci
Inſtituat : nam lux donum immortale Deorum eſt.
Hæc ubi dicta dedit, contra ſic orſus Apollo
Me me : adſum Pater alme, ibo, quocumque vocaris,
Ibo animi promptus : mihi rerum Juppiter author
Si fuerit, quoſvis patiar perferre labores.
Si tellurem imam, & manes penetrare profundos
Cælum urget, noctémq; atram Phlegetonte ſub ipſo,
Rumpere fata jubent, in me mora non erit ulla.
Nec me adeo tantùm abſterrent mortalia, quantùm
Ipſa animorum addit Patris ſuprema voluntas.
Cælicolæ ſtupefacti omnes mirantur, & ipſe
Juppiter ante alios, ac tali voce profatur.
Sic equidem de te rebar, mi Nate, neque ullas
Fortunæ fatique vices, te pectore certo
Deinde moraturum, nunc inſtant omnia quando,
I celer, i fidens rerum, tibi quanta paratur
Gloria ? Námque omni latè dominabere mundo :
Te cælum, & magni ſuprema palatia cæli
Luminis authorem accipient : tibi clara receptæ
Diique, Deæque omnes debebunt munera lucis.
Tecum ibunt flammæ comites, te lumine, & igni
Aſtra coronabunt, ſignorum argenteus ordo
Auratum pandet, media inter ſidera, callem.
Quid dicam totum quoties tibi templa per orbem
Fundabunt populi, fuſo quam ſæpe cruore,
Solemni de more, tuas fumabit ad aras
Victima ? Quanta ſacros ornabunt munera poſtes ?
Cuncta autem nec me fando meminiſſe neceſſe eſt,
Nec vacat, eſt aliud, memorem quo talia, tempus.
Dixit & amplexus medium perfudit odoro

Nectare: tum ſacrum divino lumine vultum
Inflammat, multóque ardentem inſigniit auro.
Mittitur interea Auroræ, qui certa reportet
Nuncius, it pernix cælo Cyllenius Ales
Præpetibus pennis, & juſſo allabitur orbi.
Qualis cum liquido libratus ab æthere. grandis
Aut aquila, aut magno connixus remige milvus.
Ille volans tenues immani verberat auras
Alarum impulſu, tum nubes lintuit, & imum
Stringit iter, demúmque humili ſuper arbore ſidit.
Talis ad Auroram Cyllenius ibat, & altas
Per nubes, tali præceps ſe mole ferebat.
Orbe ſub extremo trans æquora, tránſq; remotos
Æthiopum fines, ſublimes pendet in auras,
Oſtentátque caput dorſum inſuperabile montis,
Pendentes inter ſcopulos, plorantibus antris
Cogitur in tenuem glomerato vortice rivum
Ganges Indarum primus Regnator aquarum.
Hîc quondam fama eſt cum vaſtum conderet orbem
Juppiter ad vitrei ſacrum caput amnis, amœnam
Auroræ poſuiſſe domum, montémque ſub ipſum,
Illam amplas ſpatio ingenti extendiſſe per ædes,
Illuſas gemmis, & mille coloribus ædes.
Vallis ubi obliquo ſe tramitis implicat orbe,
Et cæcum furatur iter, ſub rupe cavata,
Anguſti patuere aditus, qua limen iniquum
Secretos celat nigra ſub nocte receſſus
Implicuitq; viam. Haud cuiquam penetrare facultas.
Veſtibulum ante ipſum ſtat Phoſphorus: igneus olli
Ardet apex, ardent humeri, fuditque per ora
Se nitor: & tenui jam ſignat lumine callem.
At domus interior mundo puriſſima cultu
Porticibus longis, longas ſpatioſa per ædes
Panditur; hîc roſeis ardens ſplendoribus ignis
Scintillat, ſed Sole minor, qualiſque videtur
Cum rubuit moritura dies, damnataque nocti
Pallentem obſcura pinxit ferrugine vultum.

Secti intus, poſitique rato diſcrimine regnant
Per tabulata onyches, pendet laquearibus altis
Ordine perpetuo cryſtallus plurima, lucem
Quæ ferat in ſeſe & referat, lux æmula luci
Splendore it volitans tremulo, luditque per auras.
Illam & ludentem, & circum ſe quaque ferentem
Accipiunt, redduntque modis conchylia miris
Apta inter ſeſe: ceu fors obducta metallo
Cum ſolem adverſum capiunt vitra, multus in auras
Luce repercuſſa Sol emicat, omnia circum
Pervolitant radii, lux undique Soles.
Ipſa autem, mediis tecti in penetralibus artes
Aurora exercet varios, modo lilia molli
Ducit acu, fingitque roſas, modo ſerica carpit
Vellera, & arguto molitur pectine telas.
Fors tenerum exigua pingebat imagine Solem,
Chryſtallo in lævi, & radios tendebat in auro.
Cum ſubit, inq; domum ingreſſus ſe ante ora puellæ
Mercurius dedit, & turbatam, ac multa paventem
Divino afflatu, verbiſque appellat amicis.
O Dea (namque tibi vitæ immortalis honorem
Et decor, & virtus, atque indulgentia Divum
Conceſſere) ſuum per te clariſſima Virgo
Expectat Natura diem, te Cynthius ipſe,
Ipſi ignes, ipſa optarunt te ſidera Matrem.
Ne tantum mundo munus, neu tu tibi tantam
Invideas laudem, cælo nam lapſus ab alto
Viſcera per: ſacramque alvum, Sol aureus ibit,
Afflabitque uterum: donec ſuſceperit artus.
Hæc ego ſiderea miſſus tibi nuncius arce
Certa fero, nec fas tantis non credere rebus.
Illa autem poſita demum formidine fatur.
O quicumque meum, fatis authoribus, urges
Obſequium, tantæque paras mihi laudis honorem,
I me, i, divinos cælo teſtare paratam
In monitus, ſuperis animum teſtare fidelem.
Vix ea dicta, pari ſeſe ſuper aſtra volatu,
Munere perfecto, divinus ſuſtulit ales.

Viderat hæc, qui cuncta videt, qui ſingula luſtrat
Sol Pater, extemplo ſe per declivia cæli
Libra agens, ſed qua movit ſecumque (per auras
Deſcendens, rutiloque caput circumlitus igne,
Cærulem infecit candenti limite cælum.
Vatibus unde illud tantum memorabile Graiis
Fulſit iter, nivei dictum de nomine lactis.
Nunc quo, quidve modo, poſt tanta exordia rerum
Contigit, expediam, quæ carminis altera pars eſt.
Attonitam majora cient ſpectacula mentem.
Nunc animis opus! ingenti nunc ore ſonandum eſt:
Sed divina animo vis incidit. O ubi celſis
Sideribus? qui me tecum deducat Olympo
Cynthie, cum primum veniebas? O ubi! qui me,
Tecum incedentem, & tam grandia cœpta parantem
Edoceat? cum primum humilis ſub pectore Nymphæ
Arcta inter lucem immenſam ceu clauſtra premebas,
Vix primum Auroræ ſacras penetraverat ædes
Cynthius, ecce novo fremere omnia viſa repente
Flammarum ſonitu, paſſimque per atria multi
Collucere ignes, blandoque volumine ferri.
Aurora expavit: nec longum tempus, amicam
Viſcera per, roſeoſque ſinus, ſe fundere lucem
Senſit, & arcano ventrem coaleſcere fœtu.
Namque Deus blando allapſu per pectora, & artus
Dat ſeſe, miſcetque utero, perque ora refuſus
Perque oculos Matrem ardenti ſplendore coronat.
Illa ubi flagranti rutilum caput induit auro,
Tota nitens, tota æthereo ſpectabilis igne,
Tota ſuum referens multo jam lumine Natum,
Tectorum impatiens cælo exultare parenti
Geſtit, & obſcuro jam lumina ſpargere mundo.
Ire juvat? ſummoſque ſuper ſe tollere montes:
Atque novum terris jubar oſtentare, nigrantemque
Exturbare polo, & ſub tartara mittere noctem.
Nec jam fata obſtant juvat ire, & promere vultus,

Sole inflammatos vultus, radiisque flagrantes.
Talia versantem, & multa jam luce superbam
Accipiunt, tolluntque leves per nubila bigæ.
Ibat ovans animi Virgo, mundoque ferebat
Optatum lumen, sperataque gaudia terris.
Utque altos ventum in montes, en protinus omni
Nox pallere polo, atque umbræ trepidare fugaces,
Puniceique cavis lucere in vallibus ignes,
Et pingi extremo tenebrosum in margine cœlum.
Jamque undis radiati amnes, radiata relucent
Arva, micat tremulo crispatus lumine Ganges,
Purpureæque agris late increbrescere flammæ.
Sed quales primo lucent per cerula mane,
Aut cum sera rubens inflammat sidera vesper.
Ut primum affulsit cæcis lux insita rebus,
Et croceo splendens Aurora incanduit ore,
Obstupuere imis Nymphæ Gangetides antris:
Ipse etiam obstupuit claro jam flumine Ganges.
Et procul! O quis te superum lux inclita cælo
Detulit in terras? Nec plura effatus, in æquor
Præcipitat, Thetidique novæ fert nuncia lucis.
Narrat, uti primo nascens Aurora sub amne
Extulit os nitidum terris, rebusque colorem
Infudit, nec vana fides, manifesta per undas
Jam signa apparent, multo nam lumine fluxit.
Mirantur Nymphæ donum admirabile lucis,
Oceanusque Pater, mirantur cætera ponti
Numina, Nereides, Glaucus, Tritonque biformis,
Cymoque Xantoque & frontem picta Corallis,
Auro omnes roseam per lactea colla refusæ
Cæsariem, lucem inclamant lucemque salutant,
Lucem exoptatam, voces pulsata volutant
Littora, & ingenti sonat omnis murmure pontus.
Nec minor interea regnat per rura voluptas,
Ipsi etiam montes, & montibus antra sub imis
Lætitia exultant, ipsi cum fontibus amnes
Auditi festas in cælum tollere voces.
Rustice Hamadryades, manibus per mutua junctis,

Orbem ineunt, lætasque agitant per prata choreas.
Inde alios tendunt aliis ex orbibus orbes
Ordine ab adverso, medius Pan magnus ovantem
Carminis ad numeros moderatur rite coronam
Quis mihi Naturæ sensum mentemque recludat
Talia mirantis? Quibus ah clamoribus auras
Pulsabat? Quanto tollebat gaudia plausu?
Ipsa etiam varios tellus induta colores
Gesti inexpletum exultans, stat pectore fixus
Auroræ decor, & blandæ cervicis amores.
Illa sinus multo jam gramine picta virentes
Gaudia testatur, jam tentat promere florum
Prima rudimenta, & parvarum exempla rosarum,
Et jam pampineas meditatur collibus uvas,
Designatque novos sub inani germine fructus.
Nec te magna Pales, nec te formose Favoni,
Officii arguerim immemores, cum munere vestro
Auroræ ambrosios cælum exhalavit odores.
Dumque ea tam varia passim ratione geruntur:
Ecce iterum læto fremere omnis murmure pontus.
Namque rei totum late ut se fama per orbem
Egerat: ecce suis diversi è sedibus amnes
Gangem invisebant, lucis qui fata verendæ
Panderet, & primo seriem reseraret ab ortu.
Ut venere, vident fluvium lucentibus undis
Errantem, & multo fluctus splendore trahentem.
Attoniti spectant omnes: gaudentque tueri.
Auroram toto crebrescunt littore voces:
Auroram rupes, Auroram proxima late
Arva sonant, resonatque imis è vallibus Echo.
Ipse Pater summa Ganges caput extulit unda,
Nec mora pandit iter, vitreisque sedilibus amnes
Excipit: ast illi primùm de luce recepta
Gratari, mox & veniendi dicere causas.
Deinde orant, solis quam spes sit certa futuri?
Quam mox fatales tandem est venturus in auras?
Ille autem prudens rerum sic ora resolvit.
Non ea vis animo primas cognoscere causas,

O comites, quæ fata tamen dant ſcire, fatebor.
Poſtquam Aurora novem ſacro ſub pondere menſes
Egerit & raros orbi monſtraverit ignes.
Sol demum, tantum optatus prodibit, & oris,
Divinum jubar ardenti oſtentabit in auro.
At non ille poli tectum tam rarus obibit
Axe ſuper medio verſabitur, unde per omnes
Exibit populos, claro ſpectabilis igne.
Tunc ô! quæ ſpecies rerum, quam læta? quis orbi,
Et quantus naſcetur honos? quam certa voluptas?
Tu vero ante alias Soli gratiſſima tellus
Floribus ah! quantis ornabere? Non mihi totum
Si centum linguis pectus ſonet: omnia poſſim
Dicere, tam largo fundit ſe copia cornu.
Jam video toto paſſim ſurgentia cælo
Sidera, & ignivomos volitare per aera currus.
Jam pluviis variam pingi ſub nubibus Irim,
Solis ab adverſi radiis, jamque ora Dianæ
Curvari obliquos, accepto fratre, per arcus.
  Quid dicam immenſo naſcentes æquore gemmas?
Quid concretum imis terræ in penetralibus aurum,
Quid ſtellas aut aſtra, tuos (Sol alme) labores
Commemorem? Tu prima ſacræ commercia lucis,
Tu vitam mundo infundis? Te maxima tellus
Authorem rerum, tempeſtatumque parentem
Prima colit? Vicibus diſtinguis tempora certis
Erranteſque ſuis deſignas menſibus annos?
Te gemini regnantem axes, & ſumma tenentem,
Te ſtellarum ignes, te mundi templa pavebunt?
Te rupes, te ſaxa, cavæ te, maxime rerum,
Convalles, nemorumque frequens celebrabit imago?
Dumque oriens omni partiris lumina mundo
Ah! nihil objiciat ſe contra. Ah! nubila vultum
Ne lædant, æſtive ſolo fumante vapores!
Aſpirent faciles Zephyri, primoque ſub ortu
Aſſiſtant volucres, incendantque aera cantu.
Silva comas fronti inducat, cæloque tepenti
Terra tibi primos inſtauret veris honores,

Dixerat ille. Novo ſonuerunt flumina plauſu
Et Soli felicem ortum de more precati
Cærulei comites ſua quique in tecta recedunt,
At vos dum noſtro ſocii pendetis ab ore,
Damnatis vatum mendacia, namque Poetis
Quis putet eſſe fidem? Verum non vana loquuntur
Omnia: ſed noſtris obducta eſt fabula rebus.
Nam quis te Auroram abnuerit, clariſſima Virgo?
Quæ Solem paritura tuum, paritura parentem,
Ipſa tibi affundis lumen, mundoque refundis.
O quis te ſuperum nobis, pulcherrima rerum,
Miſit, ut obductæ eximeres faſtidia noctis?
Natura informi caligine preſſa gemebat
Æternam metuens noctem, tu Virgo gementem
Solaris: raptæque refers conſortia lucis.
Te tua, diva Parens, pro tali munere proles,
Te multum æternis cæli ſplendoribus auctam
Imponat late mundo, pelagoque potentem:
Unde tuos cælum ad nutus moveatur, & orbis
Accipiat leges, præſcriptaque fœdera ſervet,
Agnoſcant auræ imperium, & maria alta tremiſcant.
Vos vero, lecti ô comites, quos, Virgo fideles
Jam rite aſcivit ſua demum in jura miniſtros,
Ite citi, meritos Matri inſtaurate triumphos.
Dicite ſperato reparatum lumine mundum,
Et celebrate ſacra natum de Virgine lumen.
Interea ſummum Virgo paritura tonantem.
Accipe devotas mentes, nec pectora donis,
Sed ſtudiis metire piis, cultuque fideli.
Quod ſi quid potuit de te viciſſe merendo
Noſter amor: ſi forte rudes placuere Camœnæ:
Imperiis tu Virgo tuis, monitiſque paratum
Des animum, inque vicem officii gratata reponas.
Donec nos puræ defunctos munere vitæ
Tollat ſumma dies: & tardi mole ſolutos
Corporis, æternam cæli tranſcribat in Ædem.

SOLYMA
SIGNO PARITURÆ VIRGINIS LIBERATA.

CARMEN IN FESTUM VIRGINIS ANNUNTIATÆ.

AMOSIDÆ magni promiſſam carmine Matrem,
Et tot prodigiis in ſecula ſera paratam,
Tempore ab antiquo, & conceſſam munere divûm
Muſa refert. Quo res primum ſit prodita caſu,
Quo vulgata modo, dum fas, attendite dicam.
Jura dabat Solymis, ſolioque ſedebat avito
Achaz Oſiades: cum rurſum cœpta profanis
Ritibus & vetitis fœdari altaria ſacris.
Tum pateræ direptæ aris, ac vaſa nefandos,
Proh ſcelus! addici pollutæ gentis in uſus.
Ex illo demum fluere, ac peſſum omnia ferri:
Spes rebus labi afflictis, Oracula templis
Ceſſare, ac voces divûm, & reſponſa negari.
Cuncta autem ruere in pejus, Rex impius ex quo
Luſtratum flammis natum obtruncavit ad aras
Crudelis: ſcelerata novo dum more Moloci
Numina, ſacrilegus ſuperum contemptor adorat.
Dumque aliud ſcelus, atque aliud, ceu molis iniquæ
Ingentem agglomerat cumulum, terramque fatigat
Criminibus, cælo numen reſpectat ab alto:
Et pœnas, ſpreta pro relligione, repoſcit.
Continuo attonitam rumoribus acta per urbem
Fama volat, totis hoſtes inſurgere campis,
Conjurare omnem Syriam, populoſque cieri
Finitimos, qui bella parent, & prælia tendant.
Interea glomerari acies, fremere omnia circum,

Marte sub externo, durum jam mœnibus hostem
Instare, obsessæque urbi suprema parari.
Et jam rauca sonant ferali classica cantu,
Pulsati resonant colles, perque avia longè
Dant sonitum tela ingentem, micat aspera bello
Vis juvenum, primique duces rex Rasin, & acer
Romelides, armati ambo, curruque superbi,
Hebræamque ambo jurati exscindere gentem.
Pone subit, magnisque urbi clamoribus instat,
Tota acies, longâque locum obsidione coronat.
Quid faciat pressus mediis in mœnibus Achaz,
Quidve paret? delubra adeat? pacemque per aras
Supplicibus quærat votis? Quid vota nocenti
Profuerint? Tyrium ne vocet, totoque potentem
Euphrate Assyrium, certam qui rebus in arctis
Fidus opem ferat, & fines tutetur ab hoste?
Fata obstant! Multo circum custode, tenentur
Interclusi aditus, nec spes opis ulla futuræ est.
Interea muros primis successibus ardens
Verberat, & pugnam rabido fremit ore Damascus,
Par animi sævit pubes Samaritis, & ignem
Plurima sulphureum, primas molitur in arces.
At cives trepidare intus, ceu nubibus ater
Cum Boreas, nemore in magno, bacchatur, & altas
Versat agens, motatque ima è radice cupressos.
Tum frondes tremere, & rami, tremere omnia tanto
Vis tam dira agitat jactatam turbine silvam.
Talis agit cives miseros tremor, omnia ubique
Desperata: sonat clamor miserandus ad auras.
O Solyma, ô summo urbs quondam dilecta tonanti
Nunc invisa! Quibus te tam crudelia damnis
Fata premunt? At non tanto in discrimine rerum,
Aut Syrus, aut vasta metuendus mole Damascus
His mersere malis urbem, in præcepsque dedere:
Ipsa tibi scelerum moles immensa tuorum
Hanc cladem parat, & summi ni cura resistat

Numinis, incensas versis jam mœnibus ædes
Et flammæ abstulerint, & ferro exhauserit hostis.
Sed nondum visum superis evertere gentem
Atque urbem cælo acceptam, populisq; frequentem
Perdere: stat pœnæ addictum producere tempus
Et posuisse moras, donec se deinde recepter
Mutata in melius, ritus exosa nefandos,
Tum forte in Solymis Hebreæ oracula genti
Interpres divum pandebat, carmine sacro
Inclytus Amosides, quo non præstantior alter
Urbe fuit tota, textum admirabile legis
Effari in vulgus, venturaque prodere fata.
Nox erat, & crebro dum circum mœnia luctu
Clarescunt sonitus, tectorum in parte suprema,
Aere sub nudo, puroque, sub ætheris axe,
Obnixus cælo vates, in vota, precesque
Perstabat vigil, & pacem pro gente rogabat,
Multa Deum obtestans, talesque ad sidera voces
Tendebat. Quo summe Pater nos deinde reservas?
Aut cur versa tibi retro sententia, tantum
In discrimen agit miseros? Quos ipse vocabas
Spem rerum in magnam. Quid profuit æquore ab alto
Servatam, & dura Pharii è tellure receptam
Mœnibus his gentem Hebræam cinxisse? quid hostes
Tot monstris juvat attritos? Si tristia rursum
Bella parant, victæque urbi suprema minantur?
Aspice qui porro casus? quo turbine rerum
Quæ fata impendent Solymæ? & succurre jacenti.
Ni facias? Inimicæ acies quippe omnia vertant:
Sacrilegasque ferant in nostra altaria dextras.
Proinde aras spolient donis, captivaque sacra
Permittant stultæ, vana in ludibria, plebi.
Si tamen ultrices, læso pro numine, pœnas
Sumere, si fraudes, & publica crimina flammis
Vindicibus punire ratum est, sparge omnia flammis,
Unum oro, remove infandos altaribus ignes.
Ah! ne sacratum limen gens impia fœdet.

Quod si quid forte aut pietas antiqua parentum,
Aut vates prisci, aut ipsi nos deinde meremur,
Da pater auxilium, & duris ne deficce rebus?
Talibus orabat vates, & fixa tenebat
Ora polo, signum expectans: cùm visa repente
Stella facem intentans, tristes fulgere per umbras,
Et medium flammâ ingenti discedere cælum.
Miratur quid visa ferant, quo lumina spectent,
Amosides, iterumque preces orditur, & instat
Pacem orans superos omnes, superumque parentem,
Extemplo clarum sonuere per aera cœtus
Aligeri festo cantu, plausumque dedere.
Visa simul curru in volucri pulcherrima Virgo,
Flaventes effusa comas, quam lucida nubes
Purpureo late ardentem circumdabat auro.
Qualis virgineos cum promit ab æquore vultus
Regina Astrorum, candentibus acta quadrigis.
Mille illam stellæ comites longo agmine stipant,
Lucentem clara in nebula, mille astra sequuntur.
Qualis & æquoreo Sol aureus exit ab orbe,
Formosum radiis caput inflammatus, & igni.
Talis erat Virgo, tali se fronte ferebat,
Sydereis cervicem altam redimita coronis.
Nec mora cælestes hæc vox audita per auras
Illa tibi vates? (Nam vatem ostenta petebant)
Illa tibi, quam pacem oras tam fidus, & urbi
Virgo dabit, nec vana putes oracula divum:
Signum pacis erit Virgo paritura, sine ullo
Connubii thalamique usu, nixusve dolore.
Omine quo, trepidos firmabis denique cives.
Tu modo Regem adeas, monituque hortere benigno
Pacem oret, signumque petat, dabiturque petenti:
Si monitus fastum exuerit, moresque superbos.
Hæc ubi dicta; novo sonuerunt agmina plausu.
Tum vati simul ostensum, quo pignore Virgo
Exolvat divinam alvum, quo nomine prolem
Rite appellatam ipsius genitoris ad aras
Devoveat? quis honos Puero, quæ gloria, qualis

Cultus erit, quâ, quem victum, ratione tenebit.
Præterea ſolio ut ſeſe inſtaurabit avito
Monſtratum, variis jactatum motibus orbem
Pacabit, patrioque Potens regnabit Olympo.
Talibus attonitum viſis lux plurima Vatem
Involvit blando allapſu, venturaque fata
Virginis oſtenſæ manifeſto in lumine monſtrat.
Interea partes animum verſabat in omnes
Rex dubius, pendenſque animi, quo deinde repellat
Auxilio triſte exitium, quibus obvius armis
Durum hoſtem avertat muris: & conſulat urbi.
Et jam tempus erat, cum primum aurora rubenti
Vecta polo, cæli albentes diſcriminat oras.
Protinus acciri proceres, regnique miniſtros
Imperat, & cœtu in medio conſulta requirit.
Circumfuſi adſunt primores gentis, & una
Concilium cum Rege ineunt: nec jam amplius armis,
Sed prece decernunt templis exquirere pacem.
Ergo omnes delubra petunt, præit ordine longo
Plebs fuſa in lacrymas, proceres cum rege ſequuntur.
Et mala multa ſuo, mœſti, cum corde putantes
Expugnare parant ſuperos, cælumque precando.
Eſt locus extremæ ſummis ſub mœnibus urbis,
Multus ubi ruptis collectus ab imbribus humor
Stagnum ingens molitur aquis, quo pellere morbos
Atque lacu affectos artus merſare ſalubri,
Religio triſtes ægros non vana monebat.
Cum moto interius ſpumabant cerula fluctu.
Piſcinam indigenæ, ſtagnum dixere minores.
Hic Regem opperiens Vates, dum templa petebat,
Et molles quærens aditus, ac tempora fandi,
Stabat, vicinum qua ſe piſcina coarctat
Ad fullonis agrum: dumque illac turbidus Achaz
Tendit iter, multo venienti occurrit honore
Amoſides, talique prior ſermone paventem
Aggreditur. Quid tu bello terrenis inani,
O bone Rex? Nam quæ turmis hoſtilibus urbem

Arma premunt, mox caſſa leves ſolventur in auras.
Et quamquam ardentes animis, tumidique ſecundo
Marte ruant, ſtrictiſque inſtent mucronibus hoſtes,
Stant contra, rebuſque favent pia numina noſtris.
Proinde animi intrepidus ſpem pacis præcipe certam,
Nec belli moveare minis, ſunt agmina cælo
Quæ (ſi fata premant) urbem defendere poſſint.
Tuque ô poſce Dei veniam, ſupplexque precare
Det ſignum cælo placidus, quo pignora firmet:
Nam ſignum obſeſſæ quodcunque oraveris urbi,
Haud ſuperi abnuerint, tantum pete fidus, at illum
Dicentem Princeps, & dicere plura parantem
Impatiens animi, medio in ſermone repreſſit.
Quid tu autem me juſtâ inquit formidine preſſum
Increpitas? Superoſque jubes tentare petendo?
I procul: & ficta cum religione nefandos
Fer plebi dubiæ monitus? Nil me iſta movebunt:
Nec fas eſt, nec ſigna petam: ne forte petendo
Numinis ipſe fidem arguerim, dubiuſque refellam.
Noſque adeo, quo ſe dederit fortuna, ſequamur.
Inſequitur Regem Vates, tenditque benigno
Hortatu, ſi quâ mentem expugnare ſuperbam
Arte queat, verbiſque monens inſiſtit amicis.
Ille etiam fixus contra, obnixuſque reſiſtit
Demens! qui dum ſe ſuperos tentare recuſat,
Ipſe ſuum crimen pietate obtendit inani.
Non tamen abſtinuit dictis, monitiſque pepercit
Amoſides. Nam multa Deum teſtatus, Achazo
Promittit tanto ultricem pro crimine pœnam,
Intentatque minas, Vatem nihil ille moratus,
Inceptum tendebat iter, temploque ſubibat.
Jamque Sacerdotes concurſu ingente coacti
Stabant porticibus longis, & ſacra parabant.
Interea Vates fandi doctiſſimus unus
Qui fuit in Solymis, & conſultiſſimus æqui,
Veſtibulum templi ante ipſum, ſpectante corona,
Verba facit populo: ſtant cives agmine magno
Condenſi, pendentque ſacro dicentis ab ore.

Ille autem primum affatu ſolatur amico.
Indigenas trepidos rerum, & formidine cæcos,
Hortatur revocare animos, cœptumque timorem
Ponere: tum certo pacis pro pignore ſignum
Oſtendit, ſeræ ætati memorabile ſignum.
Narrat, uti ſæclis olim labentibus, orbi
Virgo Parens promiſſa, patres id prodere priſcos.
Dein veterum ſacra evolvens monimenta parentûm,
Atque Deo plenus, de Virgine multa canebat.
Ut quondam æterno pro Virginitatis amore,
Et fugiet thalamos, & ſe ſacrabit ad aras.
Mox ut divinum ſpectabit creſcere ventrem,
Nulli mixta viro, nullos experta hymeneos.
Nam Pater omnipotens, cui cæli regia paret,
Afflatam implebit cæleſti deſuper aura:
Solaque virgineum ſervabit Mater honorem.
Qualis felici tollens ſe citrus in horto,
Cum primum ad vernos frondent arbuſta tepores,
Inter odoratos flores, ſua creſcere poma
Miratur, ramiſque & flos & fructus in iiſdem eſt.
Sed quid ego hæc inquit non forte ignota revolvo:
Antiqui quando hæc portendunt omnia vates:
Sive rubum foliis, flamma in crepitante, virentem
Corniger Iſacidum ductor, ſive inclytus armis
Joaſides, fuſis impervia vellera nimbis
Expediebat, erant magnæ præſagia Matris.
Et quamvis incredibile, ac mirabile ſignum
Forte fidem eripiat dictis, aut viſa refutet:
Fata viam oſtendent: nec pluribus inſuper addam,
Quæ mihi, matre ſuper, pueroque objecta per umbras.
Talia narrabat Vates, ſimul ora rigabat:
Ubertim rupto teſtatus gaudia fletu.
Tum populus ſcitari ardet, ſubigit fateri
Quid monitus, quid viſa ferant? Remque ordine pandat.
Ille autem exultans animi, fandique paratus,
Dicam equidem, ô cives, nec tanta arcana ſilebo.


Nec tu carminibus, Regina, tacebere noſtris,
Quæ patrias inter longe pulcherrima nymphas,
Centum optata procis, ſacrabere patris ad aras
Virgo torique omnem plane averſaberis uſum:
Sic tu concubitu nullo, mirabile dictu,
Cælicolum regem educes in luminis auras
Mortalem, noſtroſque artus, noſtra ora ferentem.
Quo naſcente, omni ſurget gens aurea mundo,
Lætaque mutatis procedent omnia ſæclis.
Haud aliter longo cum terra exhauſta calore
Finditur, arentes herbæ moriuntur, & omnis
Languet ager: tum ſi liquidis ſe nubibus imber
Ruperit, & magnum deſcenderit agmen aquarum,
Continuò tollant animos ſata, gramina ſurgant,
Vernantique ſolum ſe paſſim veſtiat herba.
Nec tu, magne Puer mihi non memoratus abibis,
Unus qui populi crimen commune refellis,
Et vitam inſpiras mundo, lapſæque ruinas
Inſtauras gentis, quas cælo reddis habendas.
Tuque adeo generis propter commercia noſtri,
Indutoſque artus, nervis ac oſſibus aptos,
Emanuel ſeris olim appellabere ſæclis.
Ille autem quamvis genus alto à ſanguine Regum
Et trahet, & longam ſeriem numerabit avorum,
Parcus erit, dapibuſque famem ſolabitur arctis:
Huncque adeo, teneris immulgens ubera labris,
Lacte & cadenti, & ſilveſtri melle, fovebit
Caſta Parens, Puerumque cibo durabit agreſti,
Ut fas atque nefas, æquum diſcernat iniquo,
Humanum in morem, & noſtros ſe fingat in uſus.
Quid memorem quantis populos terrebit, & urbes
Prodigiis? Quid facta viri præſtantia dicam?
Utque alios longe ritus, legeſque ſacrorum
Inſtituet, moreſque novos, nova fœdera ponet.
Ipſi autem monitis homines cæleſtibus acti,
Diſcere juſtitiam, & virtutem prodere factis
Incipient, alioſque aris imponere honores.
En erit illa dies! totum cum læta per orbem

Pax ibit, positoque silebunt classica ferro,
Pacem urbes, pacem arva, choro plaudente, sonabunt.
Simplicitas, & cana fides, virtusque redibit
Omnis, & irriguo sudabunt nectare rupes.
Ipsi etiam fontes, ipsa & vaga flumina lacte
Undabunt, plenis manabunt gaudia ripis.
Magna Puer ducet latos armenta per agros
Securus, nec jam maculosos tergore tygres
Horrebit, sævisque habitata draconibus antra.
Tum sua mansuetos in rura venire leones,
Ingentesque feras descendere montibus altis
Mirati agricolæ, & campos tondere virentes,
Jam nullum pecori exitium, armentisque timebunt.
Exibunt molles, longa in deserta juvenci
Permixtique feris, ad limina nota redibunt:
Parvus ubi pastor, vix matris ab ubere raptus,
Taurosque, horrentesque ursos injecta docebit
Fræna pati, vinctosque eadem ad præsepia coget.
Quin etiam, nec vana fides, per inhospita tesqua,
Lanigero mixtus pecori lupus ibit, & altos
In saltus, tuti errabunt cum tigribus agni.
Non timidæ fugient, aquila veniente, palumbes,
Turribus è summis, aut murmura rauca sonabunt,
Nec quæ nunc arvis passim infelicibus herbæ
Sponte sua tollunt sese, falluntque legentes,
Frugibus officient lætis, segetique nocebunt.
Quercus poma feret, pendebunt sepibus uvæ,
Nec messem agricolis tellus inarata negabit.
Talia perstabat memorans, Christumque ferebat
Venturum excidio Ægypti, Memphimq; superbam,
Atque Ælam, atque Assur, Solymis in regna daturum;
Postquam autem belli signum cælestis ab arce
Imperii extulerit, densis glomerata maniplis
Gens Hebræa, suos aciem instaurabit in hostes.
Quique odiis Ephraim nunc inflammatur amaris
Germanum in Judam, rixasque & jurgia miscet:
In melius referet sese, fratrique favebit.

Sed mihi tantarum ſeriem deducere rerum:
Nec quid, quæque dies, quo temporis ordine portet,
Narrare eſt animus, nec ſi foret, omnia poſſim.
Unum autem, quod res, & tempus poſtulat unum
Accipite, & duris rebus ſperate ſalutem.
Nam certam teſtatus opem Deus, æthere ab alto,
Signa dedit, cæloque fides manifeſta monenti eſt.
Jamque urbem vobis dura obſidione ſolutam,
Conceſſamque Dei ſupremo munere pacem
Edico. Nunc qua rerum ratione, quod inſtat,
Expediam: repetet numen pro crimine regis
Supplicia infenſum. Raſim, Phaceaſque peribunt.
Quod ſupereſt, ite ad templum, veniamque precati
Supplicibus ſacros aris adolete vapores;
Et meritas tanto pro munere ſolvite grates
Cælicolum Regi primum, magnæque Parenti,
Quod ſervent ſeri ventura in ſecla nepotes.
Vix ea dicta, eadem ſimul omnes ore fremebant.
Nam fuſo circum populo, poſt omina tanta,
Credita res, Vatique frequens tam mira ferenti
Plebs grata, volat totam jam fama per urbem,
Agmina deſertis ceſſiſſe hoſtilia caſtris,
Et patriam petiiſſe, juvat procedere muris,
Atque ſolum late aggeribus foſſiſque paratum
Cernere, qua populo exitium impendebat, & urbi,
Ni ſuperi afflictis juſſiſſent fidere rebus.
Interea feſto velati tempora ramo;
Mactatis cives faciebant ſacra juvencis:
Jam venturam imo venerati pectore Matrem.
Olli divinos, ut cuique eſt copia, honores
Laudibus inſtaurant variis, celebrantque frequentes
Proſtratos ſigno parituræ Virginis hoſtes,
Et promiſſam urbi tanto ſub pignore pacem.
Quis noſtrum ô comites, poſt tanta exordia rerum,
Atque orbi pactam, per tot miracula, Matrem,
Ipſiuſque adeo facta admiranda parentis
In laudes ceſſare queat? Te maxima Virgo,

Venturam primis olim cecinere Prophetæ
Temporibus, divina modis oracula miris,
Promisere tuos miseris mortalibus ortus.
Nondum spirabas vitæ letabile lumen,
Cum jam importunum Solymææ à mœnibus urbis
Hostem avertebas, & pacis dona ferebas.
Nos quoque speramus, postquam te nostra tulere
Sæcula, te pacem Europæ, mundoque daturam.
Hoc unum, quod fata negant, præque omnibus unum
A te expectamus: nec spes frustrabere nostras.
Nos tua progenies etiam majora precamur,
Speramusque, piæ functos ut munere vitæ
Sedibus æternis, æterna in pace reponas.





HEROICORUM LIBER SECUNDUS.

TEMPLUM FAMÆ,

CARMEN HEROICUM,

QUO STUDIORUM SUORUM primitias Cardinali JULIO MAZARINO *avunculo suo* ALPHONSUS MANCINUS *ad Kalend. Jan. an.* 1657. *consecrat.*

SINT alii, qui carminibus te, maxime JULI,
Clarorum dum facta canunt memoranda viro-
rum,
Vel sperent se posse, vel ausint dicere Vates.
At non illa meæ (quamquam excusanda, nec ulli
Permittenda magis) veniat fiducia menti.
Sed par fortè animus quamvis ad carmina desit,
Desperémque tuas laudes æquare canendo:
Ipse tamen referam (si fas audere) quid isto
Monte super, tibi Fama, paret quos Phœbus ho-
nores.
Tu modò (difficiles dum mundi tractat habenas,
Respirare animus si quid tantisper, ab altâ
Rerum mole sinit, nec Vatem audire recusas,

Cantantem tua facta, tuo de ſanguine Vatem)
Tu bonus aſpira juſtas in carmina vires,
Da magnam vocémque tuo ingeniúmque Poëtæ.
Tum Tyberis, tum me pater Apenninus, & omnis
Audiet extremis è finibus Itala tellus.
Omnis cantanti jam Gallia plaudit, & Alpes
Attonitæ Vatem agnoſcunt, nutúque ſalutant.
Phocide in extremâ, bijugo ſe vertice tollit,
Inter delicias nemorum, antrorúmque receſſus,
Et prata, & fontes & amœni gaudia ruris,
Mons olim multo celebratus carmine Vatum,
Parnaſſum veteres primùm dixere Poëtæ
Huc tendunt, montiſque ſacros accedere fontes,
Affectant: ſi qui, lævo non numine, Vates
Eſſe velint: nec enim famam ſperare canendo
Fas cuiquam, meritâque caput circumdare lauro:
Ni prius Aonium, certus non cedere, montem
Vi ſuperet, ſummóque ſuper ſe vertice ſiſtat.
Ipſe etiam, Magne ô JULI, dum me tua porro
Muſarum dulci in gremio, & felicibus ulnis,
Juſſa tenent operi addictum, ſtudióque Minervæ;
Parnaſſum ipſe etiam in montem, & ſuper ardua montis
Aut ibam, jam laudis amans, aut ire videbar.
Cùm prior, ante alios, venienti occurrit Apollo
Ipſe loci præſes, ſacræ occurrere Sorores,
Omnes Phœbæâ præcinctæ tempora lauro:
Perque ſuos fontes, & roſcida fontibus antra,
Per montis delubra, novum duxere Poëtam.
Iſtorúmque habitus varios, cultuſque locorum
Monſtravere, artéſque, ſuo ſub monte, repertas.
Nam primus curis acuens mortalia corda,
Artibus ingenuis homines formavit Apollo:
Ne turpem traherent inhoneſta per otia vitam.
Monte ſuper ſummo, planæque ex aggere terræ,
Surgebat delubrum ingens, æquatáque cælo
Machina, tercentum cælo ſuſpenſa columnis.
Cui non ſublimi Rhodius de mole coloſſus,

Non Pharos, immanes tollens, pro funere Regum,
Pyramidas, non ipſa Jovis Capitolia certent.
Ut ventum ante fores. ALPHONSE, hanc aſpice molem,
Phœbus ait, ſummo quæ ſeſe tollit olympo.
Is locus, hæc Famæ eſt ſedes, Templúmque ſuperbum,
Quod Muſis permixtæ Artes ſtruxere, tuóque
JULIADÆ poſuere, vides! quæ fronte ſub ipſâ
Se pompa oſtendat, quanto molimine ſurgant
Atria, porticibus quàm vaſtè extenta ſub amplis.
Mirabar molem immenſam, magnáſque ſtupendæ
Artis opes, ſeriémque operum, egregióſque labores.
Veſtibulum ante ipſum, puro de marmore, Famæ
Extabat ſimulachrum ingens, par illa volanti
Magnum remigium alarum tendebat in auras,
Inflabatque tubam: textus pendebat ab illâ
Tortilibus nodis, & picto ardebat in auro
Carbaſus, inſigni portans pro ſtemmate faſces,
Romanos faſces, permixtáque faſcibus aſtra.
Et MAZARINO tuba nomine plena ſonabat.
Nomine quo, pulſi reſonabant undique colles.
Tum nos veſtibulum ingredimur, Templóque ſubimus.
In medio, lævi ſtabas de marmore totus,
At non purpureo, per tempora, vinctus amictu,
Sed lauro caput, & frondenti cinctus olivâ.
Palladias, quod amans Vatum, informatus ad artes,
Ipſe dabas operam Muſis, cùm prima ſinebant
Otia, nec totum te Regni cura tenebat.
Hícque prior, ſolito ante alios te Phœbus honore,
Ceu præſens Templi numen veneratus, idemque
Muſarum chorus omnis, idem fecere Poëtæ,
Virtutique tuæ aſſueti, rebuſque canendis.
Ipſe aderat reliquos inter, ſed in agmine, Vates,
Qui Claro ſub Monte, bonas me format ad artes.
Durum erat, in tantâ ſpectari luce, modeſto:
Quamvis ille tuas & mecum, carmine puro,

Cantaret laudes, & me cantare doceret.
At dum turba omnis circum, tua facta Poëtæ
Alterni repetunt cantu, celebrántque frequentes,
Certatim Musæ summi laquearia templi
Exornant, lectísque tuum pars plurima gemmis
Inscribunt muro nomen, lauróque coronant:
Pars auro cælata, & grandibus aspera signis,
Solemnem portant vasa imponenda sub aram:
Pars ostrum Templo intendunt, artisque tapetes
Barbaricæ: fulvo resplendent cuncta metallo,
Pars & Romanos fasces, insigne paternum,
Adjiciunt, & res describunt ordine gestas,
Parietibus summis. Illic mihi prima Casalis
Fœdera monstrabat Phœbus. Stat Martia pubes
Arrecta, expectans signum, jam jámque parata
Irruere, & versis concurrere cominus armis.
Tu rerum medius, tanti in discrimine belli,
Pernici volitans, turbata per agmina, cursu,
Prætendénsque manum, pacis responsa ferebas.
Et quamquam ardentes spirarent prælia turmæ:
Arma ultrò posuere: venit Pax lapsa per auras
In fœdus: galeæ circum, gladiíque per agros,
Scutáque, loricæque, & tympana strata jacebant.
Parte ex adversâ, pictus sub vertice sacro
Montis Aventini, multóque superbus in ostro,
Stabat Honos, radiis caput inflammatus, & igni,
Tingebátque tuas, Romano murice, vestes.
Mille illum longo stipabant agmine Nymphæ:
Pars tibi multa novos etiam texebat amictus,
Puráque Sidonio fundebat vellera succo,
Addebátque rosas ostro, æternúmque ruborem.
Rex tibi Franciadûm, magnæ de munere Romæ,
Rebus pro gestis, hos conciliabat honores.
Purpureos inter Patres sublimis, & ipse
Purpureus, tu deinde aliâ de parte sedebas;
Ausoniumque tuo implebas splendore Senatum.
At tu, Romano jam tum spectandus in ostro,
Posceris ad Franci res, summáque munera regni.

Illic pallentem LODOICUM morte propinquâ,
Cernere erat, medióque tuam, sub funere, dextram
Prensantem, dum te Regni in suprema vocatum
Concilia imponit rebus, pro parte, gerendis.
Túque adeo summo positus sub cardine rerum,
Reginæ, Regíque fidem, obsequiúmque vovebas,
Dum te poscebant rebus tutamen in arctis:
Juratámque fidem, cæli è regione serenâ,
Firmabant testes Superi; quin ipsa favorem
Mitia pacato spondebant sidera cælo:
Hîc tamen interea summo delapsus olympo,
Aliger is, Regni cui tradita cura, per auras
Hos tibi, de cælo, monitus: hæc jussa ferebat.
Dum regis hunc, JULI populum, tu lenia lenis
Exerce imperia, assuescant parêre volentes:
Imperium placidæ debes placabile genti.
Hîc rerum series sese magis ampla tuarum
Pandebat, Regni heredem, quem sumere in ipso
Rex tibi, supremùm moriens, mandarat alendum,
Formabas, facilémq; animum, mentémq; benignam
Accipere in populos, dulci sermone, monebas.
In medio, Franci stabat spes publica Regni,
Magna ferens magnæ præsagia mentis Alumnus:
Cui flammis acres oculi, vis ignea vultus,
Blandáque majestas divino ardebat ab ore.
Et quamquam molles animus præverteret annos,
Armorum magno jam tum inflammatus amore,
Et crudum forti spiraret pectore Martem:
Placabas monitis Puerum, ardorémque premebas.
Sic magnum Pelidem olim formâsse sub alto
Pelio, ubi in rupes tollit se Thessala tellus,
Dicitur, & Chiron animi maturus, & ævi.
Ille tuo primùm mansuescere doctus ab ore,
Indomitos placidâ Celtas sub pace regebat.
Et quantò laudes plus exsuperabat avitas
Pacis amans bellíque Puer, quantò altiùs ibat
Ante alios Reges, tantò te pluribus omnes
Laudibus ornabant Musæ, Regísque juventam,

Et primos mores, inter tua maxima facta,
Pingebant, tabulámque auro, & ſandice linebant.
Deinde alto tua, Reginæ tum regna tenenti,
Conſilio ſpectata fides, variiſque probata
Eventis rerum, fato prudentia major,
Evectum cælo magnis Heroïbus addunt,
Gloriáque ingenti te portat ad æthera curru.
Linquentem terras, & jam ſupera alta tenentem
Te picturato Fama oſtendebat in auro.
Subter erant, humili ſub humo, ornamenta favoris,
Quæ tibi, congerie immenſâ, Fortuna parabat,
Aurea vaſa, & opes auri argentíque talenta,
Purpuráque, trabeæque, & vani inſignia honoris.
Tu, rapido in curru, longè ſuper arduus ibas,
Grandi iter affectans, rerum ad ſublimia, curſu.
Fallacis vitæ dum nos hæremus in umbrâ
Mortales, laudémque brevi ſperamus ab ævo.
His ſuper attonito, atque oculos per cuncta ferenti,
Quæ rerum ſpecies, quanto confuſa tumultu
Objicitur! picta obſcurum & ferale rubebant
Sidera, pallenti cælo: ceu perdere regnum
Conjurata: feri ſic nunquam arſere cometæ
Cùm populis cladem, & ſtrages, & funera portant.
Infra autem Mavors civilibus intonat armis
Efferus, & toto inſultans diſcordia Regno
Arma fremit, cæcíque ruunt in mutua Celtæ.
Illic & pontes rumpebat Sequana, & ipſam,
Exundans ripis, terrebat fluctibus urbem.
Qui te tum caſus, ô Gallia, quanta tenebant
Bellorum monſtra implicitam? Quæ tum tua, magne,
Venerat, ô JULI, quàm dura in tempora virtus?
At dum me belli ſpecies tam dira tenebat
Attonitum: Juvenis, turbata per agmina, viſus,
Enſe viam rumpens, ſummâ cui caſſide criſtæ
Undabant, rutiliſque caput fulgebat in armis.
Frater erat, vultum agnovi, formámque decentem,
Ingentéſq; animos: nam quo magis arma ſonabant,

Stridebátque gravis, ceu turbine grandinis, imber
Telorum, medios ibat moriturus in hoſtes.
Ah! quo te Germane, tuus rapit ardor? ut atro,
Ante diem, properes violentam funere mortem?
Quo te funeſtæ laudis tam ſæva cupido
Impulit? At tanto victus diſcrimine rerum
Occumbit, tunc Regis amor, regnique voluptas,
Nunc deſiderium: manibus date lilia plenis
Franciadæ, fudit, Franco pro Rege cruorem.
Nec porro cuiquam, tam pulchrâ morte peremptum,
Contingat plorare, tui, pro munere ſummo,
O, Germane, mihi quæratur gloria leti.
Nam quamvis mihi Roma ſuos oſtendat honores;
Et primis faveat ſtudiis non lævus Apollo.
Quippe ſuo Muſæ nuper plauſere theatro,
Victori ſocios inter, palmámque ferenti:
Ipſe tamen lauros, alio ſudore, paratas
Quærere amem, nam me bellandi gloria, & ingens
Ardor agit, forti quam primùm occurrere leto
Et fuſo partum tutari ſanguine nomen.
Sanguine quo, JULI, tua purpura fortè ruberet,
Splenderétque magis, ſi qua eſt ea gratia tantis
In noſtram paſſimque domum, ALPHONSUMQUE nepotem,
Pro meritis, quod ſpe jam tum præſumere lentum eſt
Cui non juſta ætas hoc invidet. O ubi! qui me
Erudiat bello, laterique accommodet enſem,
Et dulcem hanc, pro te, pro Rege, impendere vitam,
Inducat, quo me præclara exempla meorum
Invitant; nam Magne, tuo de ſanguine, JULI,
Magnam mentem hauſi, quando lucíſque, ſuíque
Contemptorem animum, veſtrâ de gente, recepi.
Hos animos, pro te, bello fortiſſima tellus
Franciadum, dedit hos animos mihi maxima virtus
JULIADÆ, mortémque, tua pro laude, paciſci
Hortatur paribus Germani gloria fatis.
Quamquam ô, ſeu bello, ſeu me tuá deſtinat aris,

O Juli, fuerit mihi: quæ pro lege, voluntas
Non parere negem, quidquid durando ferendum est.
Nec ferre abnuerim, fuerit quodcumque laborum:
Nos genus Æneadûm, primi de sanguine Teucri,
Romulidæ, leti immemores, quos Martia virtus
Et conferre manum cum fato, & spernere vitam
Instituit, veros contemptu mortis, honores
Quærimus, & fuso speramus sanguine laudem.
Talibus auspiciis sese gens Romula mundo
Imposuit, finésque suos æquavit olympo.
At non, qui morti sese devoverat atræ
Cæde suâ, tantos potuit sedare tumultus
Germanus, non summa omnis prudentia Regni.
Tantus amor belli, & sceleratæ insania cædis.
Armari ferro populos, portísque moveri,
Et Martem tentare, aliâ de parte videres.
Cuncta armis confusa; omnis monstrabat imago.
At simul ostendis pacem, Regémque reducis.
(Namque reducebas Regem, pacémque ferebas)
Hos æstus animorum, atque hæc incendia tanta,
Quæ miseri media ardebant per viscera Regni,
Restinguis, toto hîc fugiebat pallida campo,
Scissa comam, & lacerâ incedens Discordia pallâ.
Quin mœsto Mavors dejectus lumina vultu,
Terga dabat, lætóque redibat Pax bona gressu.
Qualis cum volucris populus florentis Hymetti:
Quamquam regna ardens animi, sibi cerea fingat.
Ipse tamen, rege amisso per castra vagatur
Turbatus, rumpítque fidem, cellásque resolvit.
At si fortè vagum, per rura virentia, pastor
Restituat genti regem, cellísque reponat,
Pacis amor redit, & fundendi gloria mellis:
Ac se mutatis, componunt omnia, rebus.
Æquora deinde mari, Phœbus, prætenta Britanno
Pinxerat, & toto captivas littore Nymphas,
Dunkercam, & Furnas, & Mardicum, & Gravelingam,
Captivas, dum te rerum momenta tenentem
Consiliis, Regni melior fortuna sinebat.

Dúmque hæc lustranti Templum admiranda videntur:
Parte aliâ peſtem, rupto ex Acheronte, profectam,
Ætatis noſtræ opprobrium, criménque ſupremæ,
Cernebam ſuperas conantem erumpere in auras:
Quæ nova in antiquos ſpargebat dogmata ritus,
Et Romæ, & toti jam deteſtata Tridento.
Hanc circum ſtabant Furiæ, ſtimuliſque premebant
Tollentem ſeſe. Tu labem abolere nefandam
Perſtabas, monſtrante Deo, dum crebra micabant
Fulmina, Tarpeii ſacro de vertice ſaxi:
Et Vaticanâ ſummus de rupe Sacerdos
Triſte exturbabat monſtrum, diríſque vovebat.
Hac nos, ut perhibent, offenſi numinis iræ
Peſte exercebant, lene inſidioſa venenum,
Quæ ſparſit latè in populos, Vatéſque canebant,
Pro tanto Regni exitio, pro peſte piandâ,
Ultori ſua ſacra Deo facienda per aras.
Et quamquam ingenti jam pridem attrita ruinâ,
Tollere ſe tamen inſidiis, furtóque parabat.
Ut ſerpens duro, quem longum ſtipite paſtor
Contudit, ille lacer fractos ingentibus artus
Involvit ſpiris, formidandúmque latendo
Virus alit, mox cùm vires animóſque recepit,
Inſultátque ſolo ferus, oſtentátque venenum.
Sed quantò creſcit magis, & caput altiùs effert
Dira lues, tantò te, JULI, impenſius æquum eſt,
Obniti contra, totámque exſcindere gentem.
Jam te terribilem monſtri ſenſere furentis
Relliquiæ, tantis, animi ne defice, cœptis.
Dúmque favent Superi, dum deſuper ardua cæli
Porta tonat, Proceréſque ſacri, ſummúſq; Sacerdos
Romulidûm, votis dum omnes hoc omnibus orant,
Vince malum, dirámque potens interfice peſtem:
Si qua ſuper noſtras ſe tollere pergat in oras.
Ni facias, cælum & terram permiſceat atra
Quippe lues, regnúmque mali contagia perdant.
Ille tuus, JULI, fuerit labor, hæc tua cura.

Dúmque tuis hoſtem, terrâque maríque fatigas
Conſiliis, bellóque acrem contundis Iberum:
Et tu pro ſacris, pro relligione paterna,
Próque aris, Superûm vindex, pugnare memento.
Felix, illa tibi fuerit ſi meta laborum.
Hoc & Relligio velit, & tua gloria poſcat.
Inde tuas ædes, & aperta palatia Muſis,
Grandem juxta aram, templi in regione ſiniſtrâ,
Diverſi variâ oſtendunt pro luce colores.
Plurimus hîc longo digeſſerat ordine pictor
Librorum ſeriem immenſam, illos duplice verſu,
Diſtinguunt interpoſitos, mirâ arte, columnæ
Ingentes, ſua quas ritè ornamenta coronant.
Nunquam tot Phario congeſta volumina regi
Famoſa Ægyptus, non tot vidiſtis Athenæ,
Cùm pulchræ in veſtris florerent mœnibus artes;
Nec Vaticanas, quamvis id tu quoque jactes,
Maxima miraris par quidquam, Roma, per ædes.
Illic & Coï placita admiranda magiſtri,
Socraticæque domus, antiquorúmque ſophorum,
Atque omnis monimenta ævi, quæ priſca vetuſtas
Eripuit tenebris, Graii Latiique poëtæ
Codicibus proſtant amplis, dorſóque patenti.
Próque iſto Muſis adyto, pro ſede paratâ.
Septa domûs intra alta tuæ, tibi templa viciſſim
Iſta, ſuo dulces ſtatuunt in monte Camœnæ:
Quæ tum cum Famâ magnus condebat Apollo.
Mirum opus artificis divini, artíſque magiſtræ.
Partem opere in tanto, tu non poſtrema tenebas,
Uranie, ſummi parent cui ſidera cæli.
Imprimit illa ſuos ſtellis ardentibus ignes,
Atque immortalis cæleſtia ſemina flammæ:
Quâ longam ætatem, ventura in ſæcula, perſtent.
Addidit hos ignes operi, æternúmque vigorem,
Inſita vis tantam longùm duraret ut ædem,
Temporéque æterno Templum immortale maneret.
Non procul hinc turres longâ obſidione ſubactas
Ad pictum captiva Padum Valentia tollit.

Factum nuper opus dextrâque animóque Tuorum
Dum Vallencenâ justos pro cæde furores,
Ultricésque iras armis explere pararent.
Talia per Templum, stupefactus imagine rerum,
Pluráque mirabar, nec fas evolvere cuncta,
Quæ seriem rerum in longam, me ducere possint,
Nec vacat, ut dictas tibi pergam dicere laudes.
Est omni pro laude satis, tua maxima virtus,
Expertúsque favor Superûm, qui turbine rerum
In medio, ostendit sese tibi multus, ubi ingens
Tempestas, atrâ te circum nube sonabat.
Hos tibi cum Musis, ô JULI, monte sub isto,
Famæ in delubro, reddebat Phœbus honores.
Testis eram, & meritas laudes, sed corde sub imo,
Quod poteram, justi sensu gratabar amoris.
Dum te per Templum, latéque per atria Templi,
Mille tubis, mille ora sonant, & mille tubarum
Festos ad strepitus, Famæ te spiritus omnis
Omnis vox, omnes animi, linguæque loquuntur;
Frondenti Vates evincti tempora lauro,
Plaudebant manibus circum, lætúmque canebant.
Et fors tempus erit, cùm plena accesserit ætas,
Méque suo faciles implerint numine Musæ;
Quando alios inter Vates, Parnasside lauro
Conspicuus, vittâque caput redimitus ovanti,
Conventu in medio populorum, & luce sub altâ,
Expediam cantando, mihi quæ maxima rerum
Argumenta dabis: dicam, quo pondere tractas
Imperii momenta; quibus, dum bella geruntur,
Consiliis, summam rerum, quâ mente ministras:
Ut totum factis imples ingentibus orbem,
Dum magnam meritis fortunam grandibus æquas.
Dicam res Italas, quo tempore magnus ad altum
Fulminat Eridanum, & fugientes turbat Iberos
Mercorides: addam tot Belgæ injecta leoni
Vincula, tot domitas urbes, tot diruta castra.
His super, & versas acies, pugnatáque bella
Adjiciam, & fractos latè hostes: non ego templa

Transierim: templa argento splendentia, & auro,
Pacato demum statuas quæ plurima mundo.
Nec, mihi quid de te toties consultus Apollo,
Quid Divûm monitus, quid spondent fata, silebo.
Hostibus ut quondam victis, atque orbe subacto,
Barbaricis regum spoliis LODOICUS, onustam
Per te victor agat Francorum ad litora classem.
Túque laborato portari picta metallo
Oppida, captiváſque urbes, captiváque signa,
Et regna, & populos, & fractis cornibus amnes,
Congestáſque ducum exuvias, & mille trophæa
Aspicies, corámque tuos spectabis honores.
Tunc quoque si fessos belli Pax aurea Celtas
Respiciat, miléſque iram, ferrúmque reponat:
O quem tum Vates, quem tum te carmina Vatum,
Vicinos inter montes, & flumina dicent!
Námque tuis vacat hic meritis locus: illa tuarum,
Si fas, ô JULI, pars sit pulcherrima laudum.
Tunc te pacificum pastor cantabit, & omnis
Ad numeros circum saltabit rustica pubes:
Alma Ceres Francas cum spicis stabit ad aras,
Atque tuum agricolæ tollent ad sidera nomen.
Non alio quæsita aris oracula sperem
Eventu, faustis ferat hæc spes candida pennis.
Ipse autem sæclis, de te tam magna, futuris
Transmittam, Fama æterno cælabit in ære,
Quæ populis, toti dicam quæ carmina mundo.
At vos, dum Superi me cœpta ad tanta reservant:
Accipite ALPHONSUM, vestro sub monte, Camœnæ,
Unde tuum, JULI, exemplum, tua cernere facta
Assuescam, tua facta, tuo spectanda nepoti.
Dúmque tibi lucet BORBONIA stella, tuóſque
Et regit, & multo fortunat lumine cursus:
Ipse tuos omni spectem pro sidere vultus.

REIPUBLICÆ VENETÆ,

PRO DEBELLATO TURCA.

ARMORUM TROPHÆUM,

ob restitutam Venetiis Societatem JESU:

AD FRANCISCUM JUSTINIANUM REIPUBLICÆ AD REGEM CHRISTIANISSIMUM LEGATUM.

HOC erat, Adriaco nuper quod litore Triton
Ausonius, totum conchâ dum personat æquor,
Dum canit extremo victos certamine Turcas,
Laureti summâ populos pro rupe monebat.
Ut Thracem Venetus Latiis averteret hostem
Finibus, ac lætis nos demum rebus, in urbem
Jam dudum absentes, Româ poscente, vocaret.
Audivere suis Nymphæ Benacides antris,
Quos Triton populis monitus dabat, audiit omnis
Adria, & ingentem respondit ab æquore plausum.
Invenere fidem, per Vos, oracula divûm,
Inclyte Dux, Procerésque urbis, Populúsq; Patrésq;
Autores tantorum operum; cùm munere vestro
Nos Ignatiadæ, proles Patris æmula, vobis
Poscimur hospitio, quo tempore perdere bello
Ottomanum toto prædonem Oriente paratis.

Nos memores facti, meritis pro talibus, hoſtem
Bellando vobis nuper trans æquora victum,
Et partos canimus Scythicâ de gente triumphos.
Námque tibi, ſi quæ nobis eſt copia fandi,
Serviat, ut merita es, bello fortiſſima & armis
Gens Venetûm, dextro dudum quæ marte fatigas
Regnatorem Aſiæ terrâ, pelagóque potentem.
Unam adeo (quod ſera olim mirabitur ætas)
Adverſi inter ſe reges dum prælia miſcent
Chriſtiadæ, tantùm te bello tendere in hoſtem
Vires, & populos, atque arma Orientis agentem
Dicemus, laudéſque tuas æquabimus aſtris.
  Primus ego, hanc veſtris quando victoria palmam
Annuit, egregio meritæ pro laudis honore,
Litore in Adriaco, veteri de more, Trophæum
Inſtituam: ſocii circum, qui carmina dicant,
Spectabunt, ſacris redimiti tempora vittis,
Frondentémque ferent pompæ ad ſolemnia laurum.
Tu dum rem patriam, dum magna negotia tractas
Cum Franco, Venetis orator miſſus ab oris,
Italiæ clarum decus, heroúmque propago
O JUSTINIADE, tenuis da ſibila muſæ,
Feſtarum ſtrepitus inter reſonare tubarum,
Et laurum hanc veſtro ſeſe immiſcere triumpho.
At mihi compoſitis quæ ſtet ſublimis in armis
Non abies quærenda, aut ramis ardua quercus:
Vulgaris pompa hæc fuerit vulgaribus armis.
  Sic ubi præcelſa eſt, ipſo ſub litore, rupes,
Quæ ſummas alto ſe vertice tollat in auras.
Hanc ego deciſis, qua prominet, undique ſaxis
Componam Turcæ in ſpeciem, ce[illegible]ce ſuperbâ
Omnes qui ventos, omnes qui terreat auras.
Immanémque humeris immanibus, ex orichalco
Aptabo loricam, ingens quam deſuper umbo,
Aut picta è lævo pendebit parma lacerto.
Pro galeâ, ſummâ imponam ſub fronte, tiaram
Carbaſeam, Scythici quod Thrax ferus accola ponti
Tegmen habet capiti, per longa volumina plexum.

In tergum obliquus deſcendet acinacis, ipſi
Ductori pugnæ ereptus, bellíque magiſtro.
Hac ſub rupe, ferox faſtu, torvuſque videri
Thracibus indutus mihi ſtabit truncus in armis:
Ante pedes ſcuta, & galeas, captiváque ſigna,
Threicio miles Venetus quæcumque Tyranno
Eripuit, fractóſque arcus, enſéſque recurvos,
Tela virûm, atque haſtas deponam rupe ſub imâ,
Congeriem armorum immenſam, mavortiáque æra,
Et peltas, fractámque in peltis cornua Lunam.
Addam & opes pelago paſſim ex undante receptas,
Et gazam; ac veſtes gentis monimenta profanæ,
Barbarici luxum decoris, Phrygióſque tapetas,
Montéſque, & fluvios, deſcriptáque bella metallo,
Addam urbes pelago victas, magnúmque fluentem
Boſphorum, & undantem bello, armorúmq; tumultu
Attonitum, ac toto trepidantem gurgite Pontum,
Pandentémque ſuos portus, victíque tyranni
Triſtes relliquias, ſaxa in latebroſa, vocantem.
Inſuper & bello defenſam, ac marte ſecundo,
Natali inſignem Jovis, ut fert fabula, Cretam
Adjiciam, & Phrygiis ululatam matribus Idam,
Et Tenedum, & mœſtas tot cladibus, æquore toto,
Cicladas, & ferri, ut quondam, in diverſa timentes.
Sub ſcopulo, mihi laurus erit procera, Trophæum
Ingenti feſtæ obtentu quæ frondis inumbret
Deſuper, & virides incurvet plurima ramos,
Unde ſibi victor, partâ pro laude, coronam
Decerpat, veſtríque ornent ſua tempora vates.
Erectos circum præcingi hoſtilibus armis
Præcipiam truncos, inimicáque nomina pingi;
Atque ducum ſimulacra, ſuo qui ſanguine, laudem
Hanc patriæ peperere, omnes frondente coronâ
Inſignes caput, ínque armis fulgentibus omnes.
Quos inter, Venetæ priſco de ſanguine gentis,
CONTARENUS ovans animi, ſpoliiſque ſuperbus,
Partem opere in tanto egregius ſibi victor habebit.
Túque mihi longè ante alios, cui puppe ſub altâ,

Dum turbas adverſum hoſtem, dum prælia miſces,
Fluctibus Oceani in mediis, pugnáque ſub ipſa,
Contigit & cadere, & Turcam ſuperare cadendo,
O Marcelle, mihi totus ſplendebis in auro,
Funere pro tanto, meritæ pro munere laudis.
Terrores, vaníque Metus, trepidíque Pavores
Sub pedibus, vincti nodis poſt terga, jacebunt.
Et mortis formido, & inexorabile letum.
Nec te adeo, ſi quid poterunt mea carmina, famæ
Eximet ulla dies, tam pulchra morte peremptum.
Ille autem, tali pro fato inſigne, volantem
In clypeo portabit apem, quæ prælia tendat
Bellatrix, animámque ipſo in certamine fundat,
Læta ſuo, felíxque hoſtem ſi funere perdat.
   Nec tu carminibus, Mocenice, tacebere noſtris
Sive altum invadis ratibus mare, ſeu rapis ardens
Totam aciem ad pugnam, Turcámque infanda furentem
Proturbas, ſpatióque incluſum cogis iniquo,
Seu fugientem urges. Quin te miſerande jacentem,
Ottomanæ ductor claſſis, jam pulvis haberet
Reſperſum tabo, & projectum in litore truncum:
Ni fuga disjectum, cedentémque æquore toto,
Et turpis pavor, & venti in diverſa tuliſſent.
   In medio ſublimis erit, cui ſidera parent
Inferníque lacus, Latia de gente Sacerdos,
Magnus Alexander: Veneto nam primus in hoſtem
Jungit opes, acuítque animos, & ſuſcitat iras.
Captivæ toto ſtabunt ſub litore naves
Remigio, & velis exutæ, atque omnibus armis:
Nec non & victi currus in pulvere inanes,
Et belli tormenta ſolo proſtrata jacebunt.
Ereptas at opes, avulſáque roſtra carinis,
Marce, tuos figam ad poſtes, inimicâque ſummi
Pendebunt vexilla, alto de vertice templi.
Ipſa mihi demum hoſtili donabitur auro,
Laureti magnæ Virgo quæ præſidet arci:
Ut fortes in tanta animos exordia rerum,

Inſpiret Veneto, fauſto dum marte tuetur
Spes Italas, Latióque hoſtem, & Laurentibus arvis
Submovet, ac longè Ponti inter clauſtra repellit.
Ipſe autem populis ſaxo ſublimis ab alto,
Facta recenſebo Venetæ virtutis, & omnem
Fortunam, & caſus belli, eventúſque ſecundos,
Quæque mari, vobis pugnando exhauſta, ſub ipſo;
Dicam hoſtes pelago domitos, urbéſque receptas,
Et toto latè diſperſos æquore Turcas,
Fumantéſque Aſiæ, veſtro ſub milite, campos.
Æterno demum cælabo hoc carmen in ære,
Barbaricæ prædam gentis, regíſque ſuperbi
Exuvias, atque hoc ſpoliorum inſigne Trophæum
Victori Veneto, domito pro Thrace, recepti
Antiquo tandem hoſpitio, & tellure potiti
Ponimus, ac tantum grati ſacramus honorem.
Hi noſtri reditus, hæc ſunt, pro munere veſtro,
Quæ Vobis, memores animi, referenda paramus.
Felices, ſi ſors Populum Patréſque mereri
Contingat faciles, & conciliare merendo.
Nec vobis tantùm turba officioſa venîmus.
Ut cælo palmas lenti tendamus inermes,
Ante aras, dum bella gerunt, quibus arma gerenda.
At medios etiam, contempta ut luce, per hoſtes,
Intrepidi rerum, magnæ myſteria Romæ
Et ſanctos ritus, genti portemus Eoæ:
Atque triumphatum Chriſti ſub legibus orbem
Cum populis Auroræ, & regibus, & victis Diis,
Heſperiam in magnam, & Capitolia ad alta trahamus.
Hunc animi ardorem, quem ſummo afflavit olympo
Aſpirans, altóque Deus ſub pectore fixit,
Omnes per terras, per rerum extrema ſecuti,
Fidentes cælo, jam totum erravimus orbem,
Obſequium in certum populorum, denique læti,
Cum terræ extremis ſervitum finibus imus.
Non hunc ſqualentes Libyæ ſitientis arenæ,
Non ſcopuli ac ſyrtes, ventiſque ſonantia ſaxa,

Oceano in magno, non ſumma pericula ponti,
Non hunc naufragia, & mortes tardaſtis amorem.
Sed poſtquam toto diverſos æquore Sinas,
Pérque tot & caſus, per tot diſcrimina rerum,
Trans magnum Atlantem, & rapidi trans litora Gangis,
Extremos hominum, feſſi pervenimus Indos:
Atque pererrato patuerunt denique ponto
Æquora terrarum longè ultima, & ultimus orbis;
Unum reſtabat votis, ut & alma pateret
Adriaci Regina maris, populíque propinqui.
Ne nos deinde ſuis ſocios adjungere rebus
Abnuerent, quando pro relligione tuenda,
Bella movent. Scythicámq; parant evertere gentem.
Quin etiam, ut perhibent, eadem te cura coquebat,
Sancte Heros, ex quo rerum te maxima Roma
Regnatorem orbis, Tarpeiam accepit in arcem,
Et Vaticano Dominum ſub monte locavit.
Non ceſſavit enim rebus qui miſſus agendis
Orator, populum hortari, ſanctúmque Senatum,
Ut daret hoſpitio dextras, Sociósque vocaret.
Non ſecus ac magnos qui centum invertit aratris
Camporum tractus, & lati jugera fundi:
Maturis cùm flava ſeges jam turget ariſtis,
Undique, qui meſſem, fuerit ſi plurima, condant
Imperat ire viros, & qui frumenta reportent.
Nec te etiam talem noſtri non ſumere curam,
Paſſus amor, LODOICE, licet te bella tenerent
Armorum intentum ſtudiis, & magna parantem.
At te, & rejectum, & ſera ſub nocte jacentem,
IGNATI, Venetam cùm primùm acceptus in urbem es,
Expectaſſe diu memorant, per ſtrata viarum
Ignotum, & gelidæ cunctantem ad lumina Lunæ:
Donec te monitis demum cæleſtibus actus,
Cum turba famulantum, & cæca in nocte Senator
Quæſiit hoſpitio, ſuáque intra tecta recepit.
Nos tua progenies, quamquam inferiora ſecuti

Sorte pari accipimur: cælo Pater optime ab alto
Respice nos, quando exempla in præclara vocamur:
Ut paria, ipse pares animos, in cœpta, ministres.
O tu, præcipuo gaudet quo præside magnus
Adria, tu Veneto dux addite, MARCE, Leoni,
Et vos Divi omnes, quorum sub numine florent
Res Italæ, testes nostris assistite dictis.
Vósque ô Primores Urbis, Venetíque Quirites,
Audite hæc, vestris quando considere terris
Deinde datum est, neq; jam nobis id fata recusant:
Quamquam mens, dulci non sat contenta quiete,
Majus quiddam agitat, suspensi hærebimus aris
Orantes pacem superos, ac vota ferentes:
Et pars certa animis mores formabit, & artes:
Pars cælo monstrabit iter, quæ pectora fando
Mulceat, & sanctum doceat pietatis amorem.
Tum nostra eloquiis cælestibus ora patebunt:
Unde bibat puri divinos ætheris ignes
Mentis inops vulgus, Musísque exercita pubes:
Pars & opem dabit afflictis, blandóque monebit
Affatu, humanis quæ sit fiducia rebus.
Quin etiam (sinerent Superi) mens prodiga vitæ,
Dum Turcam bello petitis, pelagóque volatis,
O Veneti, Vestris misceri Heroibus, omnes
Fortunæ in casus, miro properaret amore.
Quod si fata negant, si vitæ desidis umbram
Ad mollem, indignos, & ad otia lenta reservent.
I tamen, i Scythico bella impacata Tyranno
Adria fer, Divûm dum numina sancta precamur,
Dum veniam incensis & opem imploramus ab aris.
Interea venturo olim testabimur ævo,
Ut capta nuper Tenedo, penetrastis ad oras
Litoris Iliaci, vestræ incunabula gentis;
Pergama ubi fuerant, & ubi Simoente sub alto,
Majorum spirant etiamnum grandia manes:
Et cinerum ultores, post tot jam lapsa reposcunt
Sæcula, Vos armis umbras satiate parentum.
Si ferro Iliacos sit, quæ violaverit agros,

Gens ſuper, hanc flammis victores perdite, & armis.
Dum loquor, en ventos ardens jam nauta morantes
Increpitat, puppi ſignum dat rector ab alta,
Solvuntur funes, tenduntur carbaſa ventis.
Jam video validis per tranſtra incumbere remis
Bellatorem Italum, Venetæ jam robora pubis,
Sub GREMOVILLÆO lauros Ductore futuras
Præcipiunt, lætíſque vocant clamoribus auras.
I felix, perge, & pelago da vela patenti,
Alta petens, totis inſurge triremibus omnis
Adria, habes qui te per aperta pericula ponti,
Per ſcopulos, ſyrtéſque, per obvia quæq; ſequantur;
At poſtquam, pelago emenſo, vos litus habebit
Externum, ferro Argolicas penetrabitis urbes,
Agmine quo, Scythicæ pallebunt cornua Lunæ,
Boſphorus ardebit flammis, Sigea pavebunt
Litora, & undanti ſpumabit ſanguine Pontus.
Tum noſtræ, quæ non Vobis, quàm carmine magno
Serta ſuo texent decerpta è monte Camœnæ.
Tunc Urbem bello egregiam, & decora inclyta gentis
Adriacæ, magno ſobolem ex Antenore natam,
Ac ſemper, ſeu res armis, ſeu fortè gerenda
Conſiliis, lætam eventu, & præſtantibus auſis:
Nunc bellum antiqua pro relligione moventem
Heroum cœtu in medio, ſuper aſtra feremus.
Attonitus plauſum dabit, & mirabitur orbis,
Plauſu in communi, feſto clangore tubarum,
Romani colles, Tarpeia è rupe, ſonabunt.
Armorúmque aliud, victa pro gente, Trophæum
Ponemus, ſeris olim memorabile ſeclis.
Dicemúſque novos, geſtis pro rebus, honores.
Hi noſtri, accepto hoſpitii pro munere, ſenſus
Hæc, JUSTINIADE, Vobis ſperanda paramus;
Túque adeo, Patribus dum geſta negotia veſtris
Fortè renarrabis, Venetæ teſtaberis urbi,
Quæ ſit apud noſtros benefacti gratia vates.
Inque vicem officii, totum te noſtra per orbem
Nobilibus celebrem vulgabunt carmina factis.

At vos interea fortunent numina Divûm,
Magnanimi Proceres, & grandia cœpta ſecundent :
Dum rem Romanam bello ſervatis, & urbem,
Et Vaticanæ ſaxum inviolabile rupis.

PACIS
TRIUMPHALE MONIMENTUM
JULIO
CARDINALI MAZARINO
PRO BELLO
FUNDITUS EXTINCTO.

NEC fruſtra eſt, divos quod pacem oravimus omnes,
Pendentes aris, atque ipſas ordine longo,
Omnibus ardentes votis incendimus aras :
Audimur. Pacem terris, & læta ſerena
Reſtituit demum, miſero datus arbiter orbi
JULIUS, & pacis leges, ac fœdera ponit.
Jámque tremens fugit excuſſo Bellona flagello
Auſa immane nefas turbarum, & vana frementem
Inferna juſſæ Eumenides ſub nocte coercent.
Ipſe & nudatus galea, nudatus & armis
Omnibus, atque humili dejectus lumina vultu
Bellipotens, nil jam populis crudele minatur.
At vos, ô miſeri, quos per tot funera, reges
Torvus agit furor, & bellandi inſana libido,
In cædem ruere, & crudo decernere ferro :
Dum vacat inſiſtens pacando JULIUS orbi,
Pacem etiam ſperate, & inermes tendite dextras
Fumantem bello Europam, armorúmque fragore
Et ſtrepitu attonitum componat denique mundum.
Et jam diverſi venere è partibus orbis
Miſſi oratores regum, qui, maxime JULI,

Arbitriúmque tuum implorent, pacémq; reposcant.
Venere & Daci infrænes, venere Sicambri.
Magnum ad concilium pacis, positóque furore,
Pacem implorabant omnes, pacémque vocabant,
Et frænum sponte accipere, & te audire parati.
Venit & ipse etiam jam mollibus æquior undis
Danubius, lentúsque Albis, rapidúsque Visurgis;
Venit & Italidûm magnus regnator aquarum
Eridanus, centum quem nymphæ, amnésque sequuntur,
Omnes paciferis velati tempora ramis;
Et diversi armis, diversi vestibus omnes.
Et se, rémque tuo summam, pro regibus ipsis,
Tractandam arbitrio exponunt, ac munera portant,
Ipse Caledoniis princeps qui regnat in oris
Venit, & infando rapti pro crimine regni,
Plurima pertendens, & conjurata suorum
Circumstare odia, & charum obtruncasse parentem;
Prædones regni infidos, qui sceptra tenerent:
Se pulsum regnis, & per diversa coactum
Errare exilia, atque alienas quærere sedes.
Et Lusitana missus de gente, rogaret
Qui pacem supplex, quod jam diffideret armis.
Ille & opes multas, auri, argentíque talenta
Ostentans, in amicitiæ se fœdera jungi
Poscebat, magnóque urbem jactabat Ulisse
Fundatam, & celebrem pelago, portuq; superbam.
Ne solus; si non accedat fœderis hujus
In partem, nubem armorum, si detonet, omnem
Excipiat, majori impar congressus Ibero.
Ipse etiam Arctoo veniens à sole Polonus,
Dum se se egregium peregrino ostendit in auro,
Gesa manu nodosa, Borystheniámque bipennim
Quassabat ferus, & pacem pro rege petebat.
Venit & orator, Nomadum de gente vetusta
Cui Getulæ urbes, & Punica litora parent:
Vana ubi restat adhuc magnæ Carthaginis umbra.
Ille gravi chlamydem Phrygiam circumdatus auro,

Accinctusque humeros telis, & acinace Mauro,
Ingenti bissex regi pro munere Franco
Ducit equos bijuges, cum barbarico comitatu.
Hisque super fama est turbato pectore motum
Regnatorem Asiæ, tanto qui fœdere junctos,
Christiadas lætis videat jam fidere rebus:
Et mox bella parent, quæ palleat omnibus undis
Bosphorus, & Scythici formident regna tyranni.
Quid memorandum æque, rerum pro laude tuarum
Hactenus arma tibi, princeps Romane, tulerunt?
Nam morem bellis, & bellatoribus ipsis
Cum nuper magnus rerum armorumque minister
Ponebas, aut cum ferro violentus, & igni
Vertebasque solo muros, hostemque premebas:
Ille suis contra se se objiciebat in armis.
At nunc pro populis pacis consulta gerentem
Te Numida in silvis, Pœni te litora ponti,
Indomitique Getæ, genus intractabile bello,
Te populi Aurore, viresque Orientis, & omnis
Bosphorus, & Turcæ tremuerunt cornua Lunæ.
Ex alia dum parte, tuo se subjicit omnis
Europa arbitrio, veniuntque ad fœdera reges:
Atque tibi pacisque modum, legesque ferenti,
Ingentes animos, & corda ferocia ponunt.
Tene ô! Tot curis, JULI, tam grandibus, omni
Consuluisse orbi, & belli extinxisse furores?
Nos facti immemores porro cessare, nec oras
Terrarum laudem egregiam vulgare per omnes?
Non ita. Namque etsi non pectore spiret ab alto
Mens excelsa, omnem tamen impendisse merenti
Laudabor conatum, & amorem explesse juvabit.
O! si tantùm animi Deus adderet, ut tua possem
Ore satis magno populis exponere facta:
Quo plausu, qua voce, quibus clamoribus urbes
Implerem patrias? Læti quo pectora vulgi
Cantu inflammarem? Cum te rumore secundo
Cuncta per ora virûm memorando carmine ferrem.
Magni me longo stiparent ordine vates,

Phœbea ante alios dignati tempora lauro.
Ipſe caput ſacræ foliis præcinctus olivæ
Et Phœbo mentem afflatus, te, maxime Juli,
Pacificum canerem exultans, populoque frequenti
Prima renarrarem perfectæ exordia pacis.
Ut grandes curas pacando impenderis orbi,
Regum ut magnorum medium te objeceris iræ
Pacifer, & flammas bellorum extinxeris omnes.
Quos componenda tuleris pro pace labores,
Contra rumores vulgi luctatus iniquos,
Cunctando, expectans demum quæ commoda paci
Olim eſſent momenta, modus quis dexter agendæ.
Tu longùm armatas odia in crudelia gentes
Concilias. Tu pacem orbi poſt longa reducis
Exilia, & pactæ confirmas fœdera pacis,
Regia per connubia, & auguſtos Hymenæos.
Ipſe autem meritis pro talibus, omnia quando
Sunt per te pacata, tibi, ſub rupe propinqua
Sequànico erigerem præcelſum in litore templum,
Quod centum ſolido fundarent ære columnæ.
Tuque mihi templo in medio ſublimis, & ipſe
Aureus, inſigni ſtares ſpectandus honore,
Et major nota ſublime extaret imago.
Fortunámque tuæ ſervam Virtutis in auro
Formarem; Virtutem erecta fronte ſuperbam
Fortunàmque humilem obſequio, & parere coactam
Sub pedibus, nuda ſub humo, confuſa jaceret
Ingens congeries galearum, & tympana, & enſes,
Scutaque, loricæque, & inania fulmina belli,
Triſtes exuviæ armorum, Martiſque nefandi.
  At, parta populis pro pace, inſigne decorum
Palladia capiti aptarem de fronde coronam.
Paciferi circum te ſtarent ordine multo
Heroes, patriam qui devinxere merendo.
Unum omnes mirari, unum obſervare tuendo,
Tendentes, unique ſuos impendere cultus,
Et te venturis exemplum oſtendere ſæclis.
Hic Faunus, Faunique parens rex Picus & ipſe

Frænabat placida populos qui pace Latinus :
Et Numa pacalis ramo redimitus olivæ,
Saturnuſque pater, quo gentibus aurea priſcis
Sæcula, pacifico quondam ſub rege vigebant,
Starent & Pario ſculpti de marmore reges
Ad pacem per te, libertatemque vocati.
Parte alia niveis inſignes tempora vittis,
Magni oratores regum, tibi maxime Juli.
Fervidi in obſequium ruerent, & dona parârent.
Deſuper ipſe, tuaque adeo jam pace beatus,
Dona recenſeres populorum. Hic turbidus auro
Undanti tibi victus opes effunderet urna,
Et Tagus ipſe, & Anas, & jam non hoſtis Iberus.
Omnes cum ſociis, pro libertate recepta :
Jurati ſponte obſequium, & præſtare parati.
Ipſe etiam pater Oceanus jam liber, & omni
Servitio exutus, ſummo de litore, pacem
Gratatus, vaſtum tibi latè ſterneret æquor,
Æquoreoſque Deos, & plauderet omnibus undis.
Vicinæ plauſum geminarent undique ripæ.
Cum Zephyro Halcyone exultans, tranquilla per alta,
Luderet, & cælo riderent cuncta ſereno.
Certatim floreſque ſuos, nimboſque roſarum
Jactarent ſummo pendentes æthere Muſæ,
Ipſe autem, templi excelſa de parte, virentes
Prætendens oleas, magno clamore monerem
Reges & populos, ut tandem marte cruento
Defeſſi, æternæ ſervarent fœdera pacis :
Quos præclara tuæ raperem ad ſpectacula pompæ.
Cuncta mihi, Romam antiquam, claroſque nepotes
Teucri Anchiſiadæ, populumque, patreſque togatos,
Tarpeiumque Jovem, & Capitolia celſa relinquens,
Cum magnis mundi victoribus, & magnis dîs,
Depoſito pro te ſerviret Gloria faſtu.
Quæ facti egregii ventura in ſæcula teſtis,
Teque, tuoſque orbi late oſtentaret honores.
Nam neque te tantùm litui, neque Martia tantùm
Buccina

Buccina, cum rauco belli armorumque tumultu,
Illustrem fecere, tuosque auxere triumphos:
Quantùm turbato PAX per te reddita mundo.
Nosque adeo jam non flendos victoribus ipsis
Armorum eventus, partasque in sanguine lauros,
Bellaque, fortunasque virûm sua bella gerentum,
Captivasque urbes, & fractis cornibus amnes
Dicemus sacri, pacis de tempore, vates.
JULIUS unus erit nobis dicendus, & omnes
Pacifer in populos, omnem vulgandus in orbem.
Salve ô! Romulidûm princeps ex ordine patrum
Orbis amor, sæcli decus admirabile nostri,
Cui se majestas soliorum, & regia sceptra
Submisere, tui totus dum posceret orbis
Momenta arbitrii, & dictares fœdera terris.
Dumque tuo servit late jam fama triumpho,
Et delubra tuæ virtuti ponit, & aras:
Magnique æterno dicunt te carmine vates:
Me sine inornatæ ramum tibi nectere frondis,
Victrices inter possit quæ serpere lauros;
Et tenuem exigui micam hanc incendere thuris.

PACIFER DELPHINUS
LUDOVICO XIV.
POPULORUM
SUMMO PACIFICATORI.

ILLUD erat, tota populi quod mente petebant;
Ut pro composito belli, armorumque tumultu,
Pignore pro certo pacis, DELPHINUS in aula
Luderet, ingentesque animos genitoris, & iras
Mulceret blando risu, illecebrisque teneret:
Et regnandum orbem tristis formidine belli

Solveret, atque metus armorum tolleret omnes,
Pacifero natus patre; paciferoque Hymenæo.
Fœdifragæ toto necquicquam ex æthere Diræ,
Sunt quibus inſidiæ cordi, inſanique furores
Arma velint, durique ferant nova crimina belli.
Ipſa Caledonio fruſtra de litore, nuper
Conjurata novum Diſcordia rumpere fœdus,
Quod rex Franciadûm regi juraràt Ibero,
Quaſſabat tædam ardentem, cornuque recurvo,
Sæva iterum reſides populos in bella ciebat.
Audivere Tagi nymphæ, audivere Pyrenes,
Clamorem Furiæ horrendum, quo pontus, & omnes
Intremuere imo ponti de gurgite fluctus.
Dumque renarrabat plebi deſpecta Britannæ
Lilia, & irriſos Franci, per compita, currus,
His ſuper accenſum, juſtoque dolore furentem
Francum, & cunctantem Hiſpanum, ac reſponſa morantem,
Implebat noſtras variis rumoribus urbes,
Rumoreſque illos, rumpendæ ſemina pacis,
Illos naſcendo ſedas, DELPHINE, tumultus.
Nec jam vana ſui jactarit Græcia cunas
Alcidæ, dira immitis qui monſtra novercæ,
Tranſmiſſos, dextra imbelli compreſſerit angues:
Cùm tibi longè alio monſtra exſaturata veneno
Contigerit mactare, aliaſque exſcindere peſtes,
Alme puer. Furias, rupto ex Acheronte, frementes
Urgebat ſtipata ſuis Diſcordia monſtris:
Illam indignantem, crudeli armata flagello,
Ipſa etiam paci inſultans Bellona premebat
Deſuper: omnis eo terrore Europa tremebat.
Tu monſtra hæc, DELPHINE, feri tu ſemina belli
Reſtinguis, trepidoque refers ſolatia mundo.
Ipſe pater magnum vultu portendere bellum
Viſus, eo totum nutu tremefecerat orbem:
Jam ſtabant belli cauſæ, regiſque dolore,
Pro decore imperii, pro majeſtate tuenda,
Franciadæ infenſi ſeſe hortabantur in arma;

Jamque videbamur ſtrepitus audire tubarum,
Cernere fumantes undanti ſanguine campos,
Et tanto latè populos ardere tumultu.
Hos autem motus animorum, incendia tanta,
Quæ perdendo orbi Mars, & Bellona parabat,
Illo componis vultu, quo noſcere patrem
Incipis, hoc matrem, quo Pacifer ore ſalutas.
Per te, proinde tuis plaudat natalibus orbis
Servatus, plaudant populi, qui ſe tibi debent
Incolumes, urbéſque ſuas, charoſque penates,
Fortunaſque omnes, & lætos frugibus agros.
Sic quando miſeros, turbata per æquora, nautas
Atra exercet hyems, & turbine torquet acerbo,
Si ſeſe Oebalius de cælo oſtenderit ignis,
Fluctibus, & ventis ceſſat furor, omnis ab illo
Spes redit & nautis, & ponto læta ſerena.
Vos quoque paciferæ, veſtro de monte, Sorores
Floribus, & violis pueri vos ſpargite cunas
Paciferi, æternæ qui portat grandia pacis
Naſcendo auguria, & denunciat otia terris.
Ipſa etiam Pax læta tuas, plaudentibus alis,
Alme puer, cunas circum volitabat, & ipſam
Plaudentem longo ſtipabant ordine nymphæ,
Tempora præcinctæ ramis pacalibus omnes,
Quas inter Charites, zonam de more ſolutæ,
Portabant calatis flores, pueroque parabant.
Nec mihi fatidicas quiſquam perſuadeat author,
De cælo ſervare vices naſcentis, & omnem
Tam læto partu ſuper, & natalibus iſtis,
Cæleſtis mundi rite explorare figuram:
Quid gravis obliqua Saturnus falce minetur,
Quid Mars flammato torvus ferat ore, quid ardens
Sol paret, obtuſo quid peccet Delia cornu.
Necquicquam ipſe mihi radio Thyrrenus aruſpex
Natales iſtos deſcribere tendat inani,
Et ſortes pueri, præſago evolvere cantu,
In vulgum ambiguas, ac vitæ eventa futuræ.
Vos mihi divinæ pulcherrima lumina matris,

Et qui magnanimi ſacro genitoris ab ore,
Luminibuſque ipſis, generoſi erumpitis ignes,
Vos ſpectanda mihi pro veſtro ſidera nato;
Illius unde vices, & fata arcana reſolvam.
Quamquam religio amborum manifeſta parentum,
Sancta patris virtus, & magnæ grandia mentis
Senſa, quibus totum latè jam temperat orbem,
Summa aviæ pietas, & cura antiqua ſacrorum,
Nos mores, puer alme, tuos, tua fata docebunt.
At puerum egregia inſignem virtute futurum
Non jam incerta fides: poſtquam de munere venit,
Virgo tuo. Nam cùm partum Lucina morantem
Tardaret, magnæ matri ſervile profeſſus
Obſequium, pariter natum, paritérque parentem
Devovit pater: & ſperata prole potitum,
Illum Carnutes tendentem nuper ad altos,
Conjuge cum chara ſimul, auguſtaque parente,
Vidimus hybernæ per dura incommoda brumæ,
Votorumque reum divinæ matris ad aras,
Ipſis templi adytis effuſum, & multa precantem,
Et memori pactas ſolventem pectore grates,
Pro ſobole accepta, & divæ pro munere matris.
Nec non & ſaxo veneratum templa vetuſto,
Antiqua veteres ubi religione colebant
Venturam Druidæ Nympham, quæ tempore ſero,
Quondam virgo parens iſtis coleretur in oris.
Nec ſua terrifici narrent hîc ſomnia vates,
Qui te belligerum memorant, DELPHINE, futurum.
Multa quidem ſperanda tibi de ſanguine virtus
Borbonio, multa Auſtriaco. Gens utraque bello
Magna, tibi Martis magnum inſpirabit amorem.
Et ſi magnanimi celebres audire triumphos
Contingat patris, pugnataque diſcere bella:
Credo equidem, tenero te pectore, Martius ardor,
Ætatem exſuperans, ad tanta exempla movebit.
Namque illum, primis dum ſe exerceret in annis,
Exultantem armis, & crudo Marte ſuperbum,

Ac belli pulcros fœdatum pulvere vultus,
Obſtupuere ſuis ipſi de mœnibus hoſtes.
Quid memorem partas, per aperta pericula, lauros,
Servatos bello ſocios, domitoſque rebelles,
Atque propagatos, utroque ex litore, fines
Imperio in magno: quantis aſſurgeret armis:
Utque ſitu egregias victor proſterneret urbes,
Et ſpolia ampla ſuis bellando parta referret:
Quos animos, quas ſpes oſtenderet. Ah quibus ille
Spectatus fatis, quæ magna incepta parabat!
Illa tuæ, divine puer, patet area laudi:
Si bellare paras, bellum genitore magiſtro
Diſce priùs, bellique feros tolerare labores.
Sin pacem, paciſque bonas ſectaberis artes,
Quod potius reor, & potius fas credere, quando
Prima tui ſic ſe oſtendunt præſagia partus:
Ille tibi pacis mores, & digna ſupremis
Otia Principibus, per ſe monſtrabit, & omnem
Armorum poſtquam primis expertus ab annis,
Fortunam, ac vario Martis diſcrimine ſenſit
Res bello incertas, te pacem optare docebit,
Cujus te placidas tenerum formabit ad artes:
Quas ipſe exercet, dotali pace beatus.
Illum adeo jam tum primis aſſueſce ſub annis
Regnantem, populis & dantem jura quietis
Aſpicere, & mira ſe majeſtate ferentem.
O fortunati, ſacro quibus ore loquentem,
Cùm trepidæ, fandi egregius, fatalia plebi
Dat monita è ſolio, atque ſuis oracula reddit,
Coram audire datum eſt, memorandaq; cernere facta.
Quàm decori, & meritis, quàm ſit virtutibus æquus,
Quàm durus vultu excipiat ſcelus omne ſevero:
Quæ fruſtra ſeri optabunt vidiſſe nepotes,
Ni magnum referas animo, DELPHINE, parentem.
Ipſe autem pacis ſtudiis intentus, avitas
Amplificare ædes ſpatiis molitur, & omnem
Regifico ſumptu pompam exornare domorum.

Aſpice Sequanico quantam ſub litore molem
Tectorum, quam vaſto operum, artificumque labore,
Attollat, Francis habitandas regibus ædes.
Nec mihi Romani ſeſe miracula faſtus,
Thyrreno è Tyberi referant, Capitoliaque alta,
Pérque Palatinos fundata palatia colles,
Tarpeiæque arces, ac nobile Pallanteum.
Omnia jam majora parat LODOICUS, & alta
Grandia mente agitans luxus monimenta ſuperbi,
Condit pacis opus, victo de Marte, trophæum,
Centum porticibus, centum ſublime columnis,
Nominis æternum ventura in ſæcula teſtem.
Et jam tectorum moles immenſa, minæque
Murorum lato, ſpatioſa per atria, ſurgunt
Procurſu ingentes, tollendaque machina cælo.
Jam, DELPHINE, tuis natalibus ipſa videtur
Exultare domus, magnoque aſſurgere alumno.
Pro regno ipſe etiam ſervando, & pace fovenda,
Contra prædones populorum, opibuſque potitos
Illicitis, qui rem civili è ſanguine conflant,
Concilium vocat, & patribus dans jura vocatis,
Juſtitiam indicit, cujus ſuprema ſubibunt
Arbitria: hoc ipſo quæſiti crimine ſontes.
Utque parat ſcelera, & fraudes mulctare nocentum;
Sic etiam pretiis animos invitat, & ipſi
Debita compertæ virtuti præmia ponit.
Nam regni proceres delectos ordine ab omni,
Ipſe ſui egregio torquis donavit honore:
Spiritus is, niveæ quondam qui more columbæ,
Præpetibus pennis, cœlo delapſus ab alto,
Omnibus, ardenti pictus pendebat in auro
Ad latus, illius præclarum inſigne Senatus;
Auratis ibant ornati torquibus omnes,
Omnes cæruleis evincti pectora vittis;
Imperio, DELPHINE, tuo decora alta futuri.
Ille etiam edictis priſcos defendere ritus
Sacrorum, contra inferni nova ſibila monſtri,
Et vaticanæ ſuprema oracula rupis

Concilio asserere in summo, plaudente Senatu,
Pro more antiquo, pro religione paterna,
Insistit, cœptisque obnixus perstat in iisdem,
Has donec furias Francis avertat ab aris,
Et conjuratæ perdat mala semina gentis.
Dumque alios crudi reges insania ferri
Turbida agit, fuso de sanguine, quærere palmas;
Et de communi populorum strage, triumphos
Sperare, injustaque sequi per funera lauros:
Tu lauros alias, alios, Lodoice, triumphos
Ferre paras: longè illa tibi victoria major,
Tutari populos, defendere legibus urbes,
Et res afflictas, & fata indigna tuorum
Respicere; & fracto bellis succurrere sæclo:
Hæc tua gesta, tui sunt, hæc, Lodoice triumphi;
Conciliare animos, & devincire merendo.
Si restent hostes, poterit tua summa vel ipso
Pondere majestas adversos frangere fastus.
Quique dabas populis terrorem armatus, inermis,
Pacatusque dabis terrorem regibus ipsis.
Dumque his intentum studiis spectabis, & artes
Tranquillas, Delphine, Patrem sub pace sequutum;
Te quoque credibile est, per magni exempla parentis
Crescentem, & tanti formatum voce magistri,
Te non pacifera primum de gente futurum,
O puer alme, tuæ qui rumpas otia gentis.
Omnia te quando partus præsagia spondent
Paciferum, belli qui turbas oderis omnes.
Postquam læta tibi cælo Pax risit ab alto
Nascenti, cunasque sua præcinxit oliva.
Nec qui connubio promiserat omnia vestro
Mitia festus Hymen, nupti de pace parentes,
Defuit augurio: nec quæ tibi Gratia tædas
Prætulerat, Regina, tuo dum fulsit ab ore
Plurima, & ingentis cumulavit vota mariti.
Te nascente pater vindictæ oblitus, & iræ,
Palladis armisonæ jam non tolerabile numen

Sustinuit, ferroque latus nudavit, & omni
Deposito terrore, sinu te blandus amico,
Excepit dulces venientem lucis in auras,
Mollia formosæ delibans oscula fronti.
Dumque puer primos illi respondet amores
Blanditiis, pacem inspirat, placatque furentem,
Hispana ambitione super, rebusque Britannis.
Tum pro materno magnum exorasse parentem
Visus avo, socero ut parcat, nec pacta retractet
Fœdera, ad Hesperiam nuper jurata Pyrenem.
Tum pater illecebris, & chari infantis amore,
Ex hoc jam primos cœpit componere motus
Irarum, & superare animos, pacique referre.
Quæque modò tristes Furias in bella ciebat,
Ære cavo, turbam increpitans, dirasque sorores,
Anguibus implicitos vellens Discordia crines,
Cogitur hinc alios longè telluris in orbes,
Incerta exilia, atque incertas quærere sedes.
Famaque dum populo natalia narrat ovanti
Paciferi infantis, totam clamore secundo,
Undique lætitiæ voces fremuere per urbem.
Principio urbanæ summis de mœnibus arcis,
Æris displosi fragor intonat, undique visi
Per noctem pictis ignes radiare lucernis,
Et sua vino hilaris testari gaudia vulgus.
Tu quoque partem etiam te non postrema tenebat
Lætitia in tanta, Musis operata juventus,
Monte super Claro. Media inter septa domorum
Alta mole super, vitrei maris ibat imago.
Quatuor innabant ponti tranquilla per alta
Argento ficti latum Delphines in orbem.
Pérque undas liquidus venit ignis, & humida regum
Et molem hanc, ut erat, flagrantem, & pulvere raptam
Sulphureo, in flammas, & magna incendia vertit.
Hæc inter, sonitu horrendo, de turribus imis,
Ignitis acti globulis sonuere fragores,
Tormentis similes ardentibus, omnis ab illo

Et strepitu, tonitruque domus concussa tremebat.
Atque his lætitiæ signis excita juventus
Jactabat magnos, inclusa per atria, plausus.
His sua solemnes celebrant dum gaudia Musæ,
Magne puer, primos in te testantur amores.
Et si contingat, quondam puerilibus annis,
Ut tua divinis concedas otia Musis;
Atque tuo vates inspires numine Francos:
Non deerit, qui te cantu fatalis Arion.
Mulceat, atque tuos tibi primus dicat honores.
O si tam magni vis incita numinis, altæ
Menti aspiraret tantas in carmina vires,
Forsitan has etiam ipse mihi deposcere partes
Auderem: quamquam id sperent, quibus ore profundo
Mens viget, & magnos versat sub pectore sensus.
Sat mihi sit, manibus, tua per cunabula, plenis,
Fortunate puer, lectos aspergere flores,
Et miscere meas, vota inter publica, voces,
Dum crescis, magnumque paras æquare parentem.
Sic tibi sint dulces autem post ubera risus,
Sic blandæ voces, blæsæ inter murmura linguæ,
Perque tot illecebras, tenero formentur ab ore:
Ut si quando tuum revocent fera bella parentem,
Perque tuos risus, per & oscula blanda, moreris
Armatum: nos ut fata in meliora reponas.
Sic quamquam sterilis, quamquam sit letifer annus,
Hunc tua felicem nostris natalia fastis
Esse dabunt, si nos belli formidine solvas.
Ipsa aderit, sacris quæ semper pendet ab aris
ANNA parens, pacemque omnes exposcere Divos
Perstabit: materque suum complexa maritum,
Tecum etiam pacem orabit, si Martia virtus
Illius audaces animos in bella referret.
Victus amore tui, dilectâ conjuge victus
Frænaret belli ardorem, mentémque paternam
In populum accipiens, nos longa in pace foveret.
Tu tamen interea, puer ô dulcissime, dormi.

Nam quæ autem torvi auderent fera claſſica Martis,
Pacato genitore, tuos abrumpere ſomnos.

THEMIDIS PAX
CUM MUSIS.
AD ILLUSTRISSIMUM VIRUM
GUILLELMUM LAMONIUM
SENATUS PRINCIPEM.

SEU Themidis ſolio ex alto ſublimis, & oſtro
Conſpicuus Francæ dictas oracula genti:
Sive domi reddis patribus reſponſa vocatis:
Seu te circumſtat turba importuna clientum:
Huc ades, ô LAMONIADE, tua maxima quando
Res agitur: Themidem contra certamine magno
De te contendunt, Phœbo ſub judice, Muſæ.
Vidi ego certantum ſtudia inflammata dearum,
Et quos quam vario miſcerent murmure motus.
Tuque adeo, ni fortè ſalus, vel cauſa moretur
Publica, tu dulci mecum pauliſper in umbra,
Muſarum fruere alloquio: dumque otia præſtas
Omnibus, ipſe tibi ſerves, animique ſolutus
Curarum ingenti paulum de mole relaxa.
Ipſa Themis, cælo leges quæ dicit ab alto,
Non libram æterno terris examine tendit,
Concilio è ſummo divûm, aſtrorumque ſenatu:
Sed certa indulgens ſibi menſibus otia certis,
Deſcendit cælo interdum, libramque remittit.
Et mundo dum lucet, amat bonus otia Titan:
Diſpenſanſque ſuo quædam intervalla labori,
Alternâ curſus requieſcit nocte diurnos.
Ergo ne dubita ceſſare, imitabere divos.

Poſtquam te regni melior fortuna, tuumque
Et meritum, & virtus, & publica vota ſupremum
In Francæ Themidis ſolium, ſanctumque tribunal
Impoſuêre patrem patriæ, legumque miniſtrum.
Ex illo ſenſim excidere, & de pectore labi
Viſus amor Muſarum, intermiſſamque relinqui
Rumor iit curam, fuerat quæ prima librorum.
Seu quod magna Themis, quæ menti inſederat altæ,
Muſarum ſolitos jam non pateretur amores:
Seu quod id, ut quondam, non publica commoda ferrent.
His turbata ſuper, quæ te reſpexerat æquo
Lumine vitales venientem lucis in auras,
Melpomene, cum prima daret tibi ſemina magnæ
Mentis, & afflaret fortes ad grandia ſenſus.
Aſtræam multa incuſans, rumoribus omnem
Muſarum incendit turbam, fit murmur, & ingens,
Pro LAMONIADE, magno clamore tumultus
Crebreſcit, trepidant mœſti, muſſantque poëtæ.
Ingravat hæc, Francis quæ ſe referebat ab oris,
Fama ſacrum inviſens montem, colleſque beatos.
Narrat uti intentumque foro, Themidique vacantem
Jam LAMONIADEM Muſis ſpirare relictis
Viderit, & ſacros vix porro audire poëtas:
Sed toto in turbam, atque forum jam pectore ferri.
Talibus incenſæ, toto ſub monte, Sorores
Phœbum adeunt, tenduntque manus, & vocibus orant
Confuſis, Themidem reprimat, quæ fœdere læſo,
Fontibus è ſacris, dulces avertat alumnos,
Detineatque fori rauco, ingratoque tumultu.
Tum LAMONIADEM, ſi nondum averſa voluntas,
Pro re communi, pro majeſtate ſuorum,
Diverſum vocet, & ſtudia in meliora reducat.
Ni faciat, ſacri perituros montis honores.
Inſtanti Phœbus quamprimum occurrere turbæ
Sollicitus, ſubitum, templi intra limina, cogit
Concilium, Themidemque vocat. Namque arbiter idem

Phœbus erat Themidi, & Musis; quo judice rebus
Sponte sua divæ interdum utebantur in arctis.
Commune hos studium communes fecerat usus;
Et simul à Phœbo pro se consulta petebant.
At Musæ studiis incensæ æqualibus omnes
Accusare deam, magnis clamoribus instant;
Ipsa autem imprimis, melior cui copia fandi,
Melpomene, placido cujus de lumine primùm
Magni oratores animos, magnique poëtæ
Accipiunt, ducuntque habiles ad carmina sensus.
Illa autem cœtu in medio, sic ora resolvit.
Non ego nunc, Astræa, querar, quæ plurima de te
Possim jure quæri: quod sacri Heliconis alumnos
A nostro longè aspectu, atque amplexibus arces:
Postquam illos juris sacrum in penetrale vocasti.
Quos clamosa fori per jurgia denique verses,
Pulvere in obscuro lenti atque ignobilis otî.
At quamquam gravis hæc me porro injuria pungat,
Est tamen est, animum gravior quæ cura remordet,
Pro LAMONIADE, quem nostras rumor ad aures
Pertulit ereptum nobis, jurique vacantem.
Hunc ego vitales cum primùm luminis auras
Suspiciens hausit cælum, vitamque recepit,
Nascentem gremio suscepi, atque ubera labris
Pro matre immulgens, divino nectare pavi.
Ipsa etiam soror Uranie, cui sidera parent,
Astrorumque vices, & cæli fatifer ordo,
Ante alias, tanti in partem accersita laboris,
Quæ bona nascenti puero natalia ferret.
Tres puræ lucis radios, dum fingeret olli
Grandem animam, rutili tres ignis, & alitis auræ
Miscuerat, totoque ignavum à pectore frigus,
Et tardum expulerat secreta mole vaporem.
Nam roseo teretes replerat sanguine venas,
Atque suum blando decus ori, oculisque venustam
Addiderat speciem, atque verendæ frontis honores.
Ipsa etiam pueri cunabula floribus ornans,
Inspirabam animos magnæ nil laudis egentes:

Unaque

Unaque formandi dum gloria dulcis alumni
Curam exerceret, ſacris ardoribus illum
Afflabam ſenſim exacuens, juſtoque favore
Muſæ aſpirabant omnes, puerumque fovebant.
Tum nec erat, quo ſe tantùm jactaret alumno,
Parnaſſus, nec cui Phœbus majora pararet.
At dum Caſtaliæ ſe tollere in ardua rupis
Tenderet, obnixus blandum perferre laborem,
Ipſa addebam animos monitis: ne mollior ætas,
Aut via difficilis curſu tardaret euntem.
Quin etiam ſummi excelſo de vertice montis
Pertentanti aditus, & pulchræ laudis amanti
Monſtrabam longè lauros, & ſerta parabam.
Ille animi exultans, indefeſſuſque laboris,
Immenſo jam tum famæ venientis amore
Perculſus, noſtras ſeſe durabat ad artes
Exercens, fonteſque viam affectabat ad ipſos.
Sæpe illum immemorémq; cibi, oblitumq; quietis,
Vos nemora, & ſilvæ, & ruris juga læta paterni
Senſiſtis, quoties ſeceſſu villa beato
Acciperet longè à ſtrepitu, ac popularibus undis
Semotum, & lati præberent otia fundi.
Quid memorem, quam multa meis è fontibus illic
Hauſerit exemptus curis, turbaque remiſſa?
Cum Latias & opes pariter, pariterque Pelaſgas
Conderet ingenii bonus, atque in ſcripta referret.
Namque illi imprimis Graios accedere fontes
Monſtrabam, Graiiſque ſitim ſedare fluentis:
Unde & opum meſſis variarum, & copia larga
Uberibus rivis Latium exundavit in orbem.
Tum qua temporibus præclara inventa vetuſtis,
Aſcræo quæ ſcripta ſeni ſunt carmina, quæque
Mæonio: tum quæ, cælo dum tenderet ales
Dircæus, rueretque alto ceu vortice torrens;
Sive Syracoſia quæ luſit arundine vates
Trinacrius: quin & priſcorum docta ſophorum
Effata, Argolico quondam dictata Lyceo,
Et quæ porticibus toties agitata ſub altis:

Cunctaque Pierio quæ nectare ſparſa videbat,
Perdiſcendi avidus confeſtim haurire parabat.
Tum mihi, tum Phœbo, & Muſis, & vatibus ipſis
De LAMONIADE quid non ſperare licebat?
Sed noſtras heu! ſpes Themis invida ſuſtulit, ex quo
Olli regnandum tota cum gente ſenatum
Conceſſit, legumque omnes permiſit habenas.
Namque magiſtratus magni dum ſedulus implet
Dura miniſteria, & curis ſe exercet amaris,
Noctes atque dies, nimio ſub pondere rerum
Defeſſus, nil jam Phœbo, Muſiſque reliquit.
Ah! ne tantæ autem vivat dulcedinis expers!
Interdum fugiat ſtrepitus, atque urbe relicta
Accedat ruris loca ſola, ubi mollia dulces
Otia agunt Muſæ, & cælo lætantur aperto.
Sic Numa, Romanæ leges cum diceret urbi,
Ibat Aventinæ deſerta per avia ſilvæ:
Mons ubi ſecretos celabat valle receſſus.
Huc turbam fugiens, divertere ſolus amabat,
Et nemora affari, & montes, ſupplexque benignam
Muſarum implorabat opem: tum denique ſe ſe,
Divarum plenus monitis, referebat in urbem:
Romanumque animo implebat meliore ſenatum.
Rex quoque frænandâ quondam pro gente Latinus,
Laurentes per agros, oracula patris adibat
Fatidici, lucos cum conſul aret ad altam
Albuneam, nemorum quæ maxima fonte ſonabat,
Unde olim attonitæ gentes, atque Itala tellus?
Cum duce pacifero, dubiis reſponſa petebant.
Sic LAMONIADES poſtquam ſe numine noſtro
Impleràt, dulcem ſecreti ruris ad umbram,
Orabat longè melius, plauſuſque movebat.
Quid referam quantos animorum accenderet æſtus
Conventu procerum in medio? Quæ flumina grandis
Sparget eloquii: quantis aſſurgeret undis?
Cum populorum aures blando ſermone teneret.
Non ita, quem Gallum jactavit priſca per orbem
Fabula, cum populos traheret, dulcedine mira

Eloquii ingentis, mentes frænabat, & aures
Gallicus Alcides: quamquam ſe ſenſibus imis
Orando inſinuans, animorum regna teneret.
Illum etiam Francæ regnator gentis, & ipſi
Francorum proceres, cum ſpargeret aurea dicta,
Concilio regni in magno, obſtupuere loquentem.
Hos porro eloquii fluctus, hæc munera fandi,
Has olim noſtris è fontibus hauſerat artes.
Hinc LAMONIADES exordia prima ſuorum
Ipſe recognoſcat decorum. Nam ſplendida quamvis
Oſtendat monimenta domus, generiſque paterni:
Omnis honos illi noſtro de munere venit.
Unde viri magnum jam tum increbreſcere nomen
Cœpit, & in populos ferri rumore ſecundo.
Poſtquam illi faciles, ad noſtri limina montis,
Conciliavi aditus, totumque Helicona recluſi.
An tot ego aſpiciam vanos irriſa labores?
Et patiar Thenidem complexu avellere noſtro,
Quem mecum Aoniis Comites pavere ſub antris
Eximium ante alios, qui numina noſtra colabant.
Scilicet alma Themis dum temperat omnia librâ,
Dum cælum luci, ac tenebris partitur in æquas
Juſta vices, & cuique ſuum pro munere reddit:
Non contenta ſuis, noſtros prædatur honores.
Vos comites prohibete nefas, mittantur alumnum
Qui repetant, Themidemque vetent, ne denique blandum
Per mille & curas, & mille negocia pectus
Dividat, aut nimio rerum ſub pondere frangat.
Et fruſtra eſt autem, magnum quod nomen obumbrans
Juſtitiæ, oſtentat, quos curia ſpondet, honores.
Nam LAMONIADÆ nec honos, nec gloria tanti eſt,
Artibus ut noſtris trabeas, ſellaſque curules
Æquiparet, vel poſt Muſas ea munera ponat.
Quem neque propoſiti faſces, neque purpura movis
Multa recuſantem, & ſtudia in meliora paratum.
Ipſo dives opum contemptu, dives honorum
Fortunam æquaſſet regum privatus, & unam

Virtutem affectans, fastum abjurasset inanem.
Sed quid ego hæc tecum ? Quando Thymbræus Apollo
Arbitrium feret, atque illo sub judice dicam.
Cum Phœbo nympham mœsti audivere poetæ,
Pro magno LAMONIADE, qui dicere mussant,
Si res ipsa ferat, dum cætera turba sororum
Instat apud Phœbum, qui criminis hujus acerbet
Invidiam, Themidemque odio graviore perurat.
At Themis hos tollens oculos, quibus astra serenat,
Multa Jovem, & divos verbis testata modestis,
Et turbam aspectans, contra sic ora resolvit.
" Nil equidem, ô Musæ, de vobis tale verebar,
Pro LAMONIADE, vestro quem munere dudum
Insignem, patribusque meis, gentique togatæ
Imposui legum ultorem, jurisque magistrum :
Artibus ut vestris, nostra de laude, paretur
Præsidium, Musisque sui reddantur honores.
Namque artes vestræ, ac studia illaudata jacerent,
Ni clavum, & trabeam, & fasces, sellasque curules,
Et quas tingit honos sacrato murice vestes
Virtuti offerrem, & meritis, doctisque pararem.
Quæque mihi cœtus fuerat reverentia vestri,
Dicitis invidiam. Sed jam non ista morabor.
Et quamquam objectum crimen res ipsa refutet,
Non equidem abnuerim, Phœbo sub judice, pro re
Pauca loqui, si Phœbe sinas, & causa reposcat.
Tuque adeo (nec enim jam dissimulare verebor)
Hostis amara, mihi quando ceu crimen acerbum
Immeritæ factum objectas, lætabere facto,
Omnia ubi noris, quæ non audire pigebit.
Cum nuper pestem studiis meditata Minervæ,
Arma fremens totum erraret Bellona per orbem ;
Et cuncta arderent cæco inflammata furore :
Parnassi templa indigno temerata videbam
Contemptu, squallere artes, bellique tumultu,
Dulcibus abjungi studiis, quos otia molli
Musarum in gremio, placida sub pace, fovebant.

Id metuens, LAMONIADEM, doctiſſimus unus
Qui fuit in Francis, & conſultiſſimus æqui,
Inſignem meritis, & veſtro numine plenum
Ipſa meo impoſui ſolio, patreſque regendos,
Et regnanda dedi pallatia: ſancta ubi leges
Curia fatidico accipiat dictantis ab ore.
Ne quiſquam dubitet veſtris impendere curam
Artibus, egregios quicumque affectat honores.
Atque (fatebor enim) tanto pro munere, grates
Sperabam mecum hoc agitans: nec proinde futurum
Ordine de veſtro quemquam, qui præmia fando
Noſtra redargueret: parto nam major ab oſtro
Olli majeſtas noſtro de munere, venit.
Ut cum trunco opifex ſtatuam molitus acerno:
Effigiem poſtquam ligno extudit, arte magiſtra,
Delubro in magno: aut regali ſede locandam,
Informans ferro lignum, poſtquam ora polivit,
Artifici dextra ſummum decus addit, & auro
Os, oculoſque linit ſuper, omniaque induit auro.
Unde operi major ſpecies accedit, & arti.
Sic LAMONIADES, jam pridem munere veſtro
Excultus, poſtquam noſtra ornamenta recepit,
Omnia habet majora, meo plus clarus ab oſtro.
Qualis, quæ largo quamquam ſe lumine ſignet
Tæda accenſa, tamen ſummas ſi forte ſub auras
Tollatur ſublimè, dabit plus lucis ab alto.
Adde his, horrendo armorum dum perſtrepit æſtu
Gallia, & attonito belli fragor intonat orbi:
Ut primùm Francos divûm indulgentia cœpit
Reſpicere, & fractis ſpem certam oſtendere rebus
Hunc ſolium in noſtrum ſummi dominator Olympi
Extulit, & tanto meritum inſignivit honore:
Cum daret in populos certæ præſagia pacis.
Ipſaque, divino longè ſub corde revolvens
Fataque fortunamque viri, eventuſque futuros,
Principio ex ipſo, ſumma ad faſtigia rerum
Illum ego cernebam manifeſto numine ferri.
Quid memorem totam facti cum fama per urbem

Didita, qui plausus fuerint, quæ gaudia vulgi ?
Vos quoque gratati proceres, patresque togati,
Quod LAMONIADES numero delectus ab omni,
Unus præ reliquis, hoc dignaretur honore.
Ipse pater, magnam qui præter labitur urbem
Sequana, lætitiam fundo testatus ab imo,
Ingentem sonitu plausum dedit: omnis aquarum
Ibat eum circum quæ tum gens humida, magnum
Exultans toto plausum respondit ab amne.
Et divina Pales, & agrestia numina Fauni
Lætitiam sensere, choros dum rustica pubes
Pro LAMONIADE, lucis agitaret in altis.
Quem famâ longè egregium, & præstantibus orsis,
Munus ad hoc, divûm manifesto numine posci,
Hi plausus populorum, & erant hæc gaudia testes.
Vos contra video dissensu tendere magno,
Uni infensæ omnes, mihi dum pro crimine grandi
Melpomene ereptum insultans objectat alumnum.
Forsitan at quæras, isto cur lætus honore,
Abjungat studiis animum, Musasque relinquat.
Eloquar. Ac primùm nos vos, quod rere, reliquit,
Qui fuerant ? primos pro vobis servat amores.
Verùm, dum curas animum partitur in omnes,
Impositique suos meditatur muneris usus:
Otia deficiunt meditantem, & multa parantem
Instaurare, bonum quæ jam commune reposcat,
Emandare dolos, fraudesque clientibus arte
Multiplici variè innexas, succurrere lapsis
Legibus, & versos revocare in pristina mores.
Nam conjuratæ sacras rèscindere leges
Immanes furiæ spargebant cuncta veneno.
Ipsa etiam tristes agitans Discordia turbas,
Mendacique truces fuco Fraus oblita vultus,
Et fraudum prima inventrix, scelerisque cupido.
Inconcessa sibi usurpans, fasque omne revellens,
Atque odia, atque inimicitiæ, litesque malignæ
Per fora confusso miscebant cuncta tumultu.
Quæ ne dira boni paterentur monstra clientes,

Inſtituit tantæ ſe contra opponere moli,
Exercens rigidum imperium, dum protinus omne
Expuleritque foro vitium, legeſque piarit.
Dumque vetat verſare dolos, & fallere jura,
Magna incepta parans, & vos perferte parantem;
Muſarum chorus hoc velit, & patiatur Apollo.
Hunc ego civili cum reſpirabit ab æſtu,
(Temporibus certis nam reſpirare vacabit)
Veſtris ire jugis, veſtroſque accedere fontes
Edico. Tum fas illi indulgere Camœnis.
Veſtra & amet nemora, & fontes inviſat amatos;
Liber ubi partis opibus lætetur, & artes
Phœbæas recolatque animo, & collecta reviſat.
Ut quando toto orabit præſente ſenatu,
Curia mireturque virum, aſſurgatque loquenti.
  Aſtræam orantem plauſu, fremituque ſecundo
Certatim turba excepit. Pars dicere divæ
Pertendunt tanto meritas pro munere grates,
Pars memorant factum egregium. Quin ipſa viciſſim
Melpomene ſe ſe incuſans, jam dicta retractat.
At ſolio Phœbus fari ſic cœpit ab alto.
Accipe, daque fidem Themis optima, pactaque firma,
Ne rumpat pacem ulla dies, aut fœdera turbet.
Nam LAMONIADEM noſtra olim caſtra ſecutum
Deberi Muſis rerum haud ignara fateris.
Verum illi dulces ut ſint ſuper omnia Muſæ,
Vincat amor Themidis: quando ſic fata repoſcunt.
Otia ament, umbramque alii, dum Palladis artes
Sectari, & noſtros properant accedere colles:
Fortunam captent alii popularibus auris
Sublimes, penetrentque aulas, & limina regum:
Vana alii certent animi pro laude, ruantque
In cædem, pulchramque petant per funera mortem,
Tu, LAMONIADE populis dare jura memento.
Hæ tibi erunt iſto propriæ pro munere partes,
Juſtitiam colere, & leges præſcribere regno.
Munere quo domini rerum, regeſque ſupremi

Nullum majus habent : non qui ſublimis ab alto
Jupiter omnipotens terras moderatur Olympo.
Nam populis ſua fata, ſuos imponere mores,
Inque hominum vitas, & crimina, vindice pœna,
Arbitrium exercere, viceſque indicere genti,
Hæc porro prima eſt rerum, & ſuprema poteſtas:
Quâ digni heroes ad publica commoda nati:
Dignus at ante alios LAMONIUS, ordine ab omni
Quem ſuperi optarunt, qui jura imponeret orbi.
Dixit, eo dicente, omnis clamore ſecundo
Mons circum infremuit, Themidi nec dicere laudes
Ceſſabant Muſæ, nec laudibus addere grates.
Cycnus erat præſtans forma, & candentibus alis
Quem Muſæ Aonii ſub vertice montis alebant:
Cujus Melpomene niveo de tergore pennam,
Pennam excellentem blandè detraxit, & ipſi
Tranſmiſſam LAMONIADÆ, pro munere magno,
Juſtitiæ, atque fori ſolitos conceſſit in uſus,
Scriberet unde, ſacro populis quæ funderet ore
Dictata è ſolio ſanctarum oracula legum,
Aſtrææ æternis ſervanda oracula faſtis.
At Themis : hoc etiam noſtri pro pignore amoris
Munus, ait, ferat ille: meæ momenta bilancis,
Quæ de fortunis populorum cernit, & omnem
Temperat una, ſuo pro nutu, & pondere mundum,
Momenta hæc LAMONIADES moderetur : & orbi
Indicat ſua fata, ſuos diſpenſet honores.
Ad donum Themidis Muſæque, ipſique fremebant
Aſſenſu vario vates, pacemque canebant.
Hi, LAMONIADE, Francæ lux maxima gentis,
Hi pro te motus animorum, hæc fœdera pacis
Divarum ancipites curas, menteſque tenebant.
Ipſe aderam pugnæ, & paci: vel adeſſe videbar.
At quamquam te diva Themis, patrum ordine ab omni,
Præcipuum optarit, qui patria jura miniſtres:
Tu ſedem hanc, quem tu meritis pro talibus imples,
Quæque tuis tantum meritis implenda vacabat,

Tu tamen hanc ſedem Muſis debere memento.
Dulcia Muſarum, dum fas eſt, otia libes.
Otia ſæpe tamen ſtrepitu rumpenda forenſi.
Et quamquam dominata foro tibi monſtra reſiſtant.
Quamquam fictores fandi fallacibus inſtent
Verborum inſidiis, nihil inſidioſa moratus
Et verba, & fraudes, obnitere; nulla laborum
Terreat inſtantem facies, aut pectora turbet
Tolle animos contra intrepidus: nec deſine porro
Hortari meliora, viamque inſiſte domandi.
Si qua foro priſcæ reſtent veſtigia fraudis.

Interea efficiam, ſi quid mea carmina poſſunt,
Ut te legiferis aliquando heroïbus addat
Gloria, & aurato portet ſuper æthera curru.
Illi aderunt comites Muſæ, currumque ſequentur,
Plauſuque atque tuba accinctæ tua dicere facta.
Fama omnem egregio moderabitur ordine pompam
Et dantem ſua jura, Remo cum fratre, Quirinum,
Romanumq; Numam, Lacedemoniumq; Lycurgum,
Et quondam emeritum reddendo in jure Solonem,
Omnes legiferos, claros virtutibus omnes,
Oſtendet longè ſuper, ætatique futuræ
Juſtitiæ exemplum totum proponet in orbem,
Quod ſeri memorent, admirenturque nepotes.
Quin tua, juncta meis ſi publica vota valebunt,
Cœpta ſecundabunt ſuperi, Deus ipſe ſupremum,
Quem dedit alma Themis, tibi fortunabit honorem:
Ut ſummo in ſolio, durando ſæcula vincas.

Ipſa autem in terris, ſummo te vindice legum,
Nunc etiam Aſtræa, ut quondam, gaviſa videri,
Dilapſos mores tecum inſtaurabit, & omni
Ah toties ſperata dabit demum otia regno.
Aurea Pax, & ſancta Fides, & candida vultum
Simplicitas, nec non docta cum Pallade Muſæ,
Aſtrææ comites aderunt, Francique ſenatus
Implebunt ſacras, ſummo te præſide, ſedes.

Quin etiam, dum regem inter, populumq; patreſq;
Das tete medium (nam muneris hæc quoque pars eſt

Nec poſtrema tui) regis, populique, patrumque
Sic junges animos, ut nobis aurea reddas
Sæcula, & æterno componas fœdere regnum.
Et ſolio leges quando dictabis ab alto,
Dictanti circum aſtabit, cum murmure blando,
Turba omnis Charitum, quæ verba leporibus ornet.
Nec tibi jam fando orator certaverit ullus,
Tam ſublimè loqui, aut ſic perſuadere loquendo.
Ipſi dum lites, & bella forenſia tendunt
Franci oratores, in veſtri luce ſenatus:
Si quando patrum ſtudia, affectuſque tenendi:
Aut ſi magnificis replenda eſt curia verbis;
Egregio per te inſtructi ſermone, tuoque
Formati eloquio, tractabunt civica bella
Fortius, & patrum ſtudia affectuſque tenebunt.
Dùmq; modos, legeſq; dabis, moremq; loquendi:
Romanæ Themidi, Romanis æmula roſtris,
Sacra Pariſiacæ Themidis delubra ſonabunt
Fulminibus verborum: atque omnis Romula tellus,
Quamquam olim mundi imperio, eloquiiq; ſuperba
Cedet, & antiquos dediſcet Græcia faſtus.
Nec facunda, omni Argolica cum gente, Corinthus,
Undanteſque opibus linguæ torrentis Athenæ,
Te ſummo dandi juris, fandique magiſtro,
Lutetiæ certent, omnes cui deinde ſubacti
Romulidæ, atque omnes obvertant ora Pelaſgi.
Illa tuo, LAMONIADE, de rure canebat
Is vates, quem tu dudum complexus amicum es,
Texebatque tibi lauro è viridante coronam:
Tempore quo, gentis victor LODOICUS Iberæ
Pacem omni dabat Europæ: mundoque quietem.

CONSOLATIO AD JULIUM CARD. MAZARINUM PRO ALPHONSI MANCINI FILII SORORIS OBITU PRÆMATURO.

NAM quod triste adeo sidus, quod numen iniquum,
Dum plausus inter populorum, aulæque favores
Cuncta tibi veniunt lætissima, maxime JULI,
Perturbat, miscétque tuas tot luctibus ædes?
Ecce omnes belli longè, armorumque tumultus,
Funeraque, & strages, dubiique pericula martis
Finibus his, nostrâ longè à cervice repellis:
Auxilioque vocas populos, qui vindice ferro
Certatim assistant, & nostra in fœdera jurent.
Non spolia hîc Belgæ toties erepta Leoni,
Non fusas acies, non propugnacula dicam
Disjecta, eversa'que arces, hostemque repulsum;
Omnia jam vulgata mihi, & celebrata canendo.
At duri quando media inter fulmina belli
Civiles regni motus, cæcosque furores
Illo componis vultu, quo cuncta serenas.
Ædibus in mediis, ipsorum ante ora Penatum
Invida vis fatorum, & inexorabile letum
Dira fremit, luctuque domum confundit acerbo.
Namque tuus medios ardens dum fertur in hostes
Paulus & ingenti laudis perculsus amore,
Pro Rege & regni pro libertate tuendâ

Bella movet, pulchramque petit per funera laurum,
Occumbit rigido trajectus pectora plumbo.
Ac neque ducta illum cognato à sanguine virtus.
Non animo ingenti vis addita, & insitus ardor
Bellandi, non Regis amor, non gratia vultus
Devotum pro laude mori, atque insueta parantem
Objectæ necis instanti eripuere periclo.
Ætatis cursu in medio, & florentibus annis
Ereptus tristem regno, Regique, tibique,
Mœrorem hoc fato, desideriumque reliquit.
Nec sua dilectam pietas virtusque sororem
Nec tua, quamquam ingens ingenti educta favore
Fortuna eripuit leto, cum febris anhelam
Ureret, & flamma miseros depasceret artus.
Vidi ego cùm tristi in lecto moribunda jaceret,
Et staret circum medicorum turba jacentem
Explorans, ægram si quâ fors arte levaret,
Nec quidquam, vis morbi ipsam superaverat artem.
Quid memorem raptam violento funere Neptem?
Postquam Vindocinâ Mancinos gente penates,
Jam toties faustos Lucinæ experta labores,
Auxerat, & triplici Sponsum jam prole beatat.
Hanc neque Borboniâ veniens à stirpe maritus
Mercorides, non ipse socer, magnique penates,
Servare à casu miseram potuere supremo.
His tot funeribus super, exitioque tuorum,
Ah! iterum ecce tui (ut perhibent) Alphonsus amores,
Alphonsus tua cura, tuæ spes altera gentis,
Palladiæ primos dum carpit laudis honores
Ingenii florens opibus, dulcisque juventæ,
Ah! morti ante diem extinctus succumbit acerbæ.
Mollis uti riguo cum se se tollit in horto
Flosculus, hibernæ qui nondum frigora brumæ
Sensit, & afflatus cæli gravioris, & auræ.
Aut qui marmoreâ jam floret amaracus urnâ
Eximium ante alios quem virgo sedula flores,
Et fovet, & reliquis spectat præ floribus unum:
Dumque

Dúmque umbram multâ effundit jam fronde comantem
Attollitque animos, ſi ſe ſe turbidus imber
Ruperit, aut Aquilo nigrantes moverit alas,
Pallet egens animæ, & fractâ cervice recumbit.
At quos non gemitus, quæ non lamenta dedere,
Iſtâ morte ſuper, noſtro ſub Monte, Camœnæ?
Et dum te morbi vis dira, ALPHONSE, teneret
Quas quibus heu! miſeri non imploravimus aras
Suſpenſi votis? quæ non delubra per urbem,
Orantes Divos luſtravimus? ah quibus ipſe
Cælum incendebam precibus? ſi denique poſſem
Fortè meum leto immiti, & pallentibus umbris
Eripere ALPHONSUM. Vos alta palatia JULÎ
Tuque domus, tu prima meos teſtabere luctus.
Dilecti manes, & vos quæ dulcis alumni
Funere in extremo morientia lumina preſſi,
Teſtor in interitu veſtro, me corde ſub alto
Curarum fluctus omnes ſubiiſſe, nec ullas
Ægrâ mente vices non accepiſſe dolorum.
Non ita dilecti genitrix in funere nati,
Qui ſpes gentis erat, vel proles unica matri,
Non ita ſponſa ſuum, quem mors tulit atra maritum,
Tunſa ſinus, ſparſoſque auris laniata capillos
Flet noctem, cælumque ſuis replet omne querelis.
Me ne ah! te morti coram vidiſſe propinquæ
Luctantem, ac ſummos ſingultus ore cientem!
Ac me, ALPHONSE, tuam quando jam luce ſupremâ
Vitam ageres, gelidoque fugax erraret in ore
Spiritus, ah! me tantum oculis hauſiſſe dolorem!
Nec potuiſſe mori? quæ me ad graviora reſervant,
Si merui pœnas, offenſi numinis iræ?
At cùm te ſuperi, cùm fata extrema vocabant
Vi nimiâ morbi exhauſtum, & jam morte propinquâ
Pallentem, ſi fors vota exaudita fuiſſent,
Ipſe libens (mihi ſunt ſuperi, ſunt ſidera teſtes)
Ipſe, ALPHONSE, libens pro te tua fata tuliſſem.
Nam cùm fortunæ me ſpes jam nulla teneret

Implicitum vitæ curis, aut vana moventem,
Nec mihi difficilis lucis jactura fuiſſet,
Sponte hoc,quodcumq; eſt,ævi pro te ipſe dediſſem.
Quem regni ad columen ſpes publica, & inſita virtus,
Et favor, & meritum, & melior fortuna vocabat;
Ah! mihi cur ſortemque tuam, properataque fata
Non licuit tolerare? tuus te lætus haberet
JULIUS, & cæli me ſplendida templa tenerent
Exemptum curis, ac lætâ pace fruentem.
Cur ſaltem æthereas non me MANCINE per auras
Cùm cælo rapereris, & in ſupera alta volares,
Fas erat ire tibi comitem, & tua fata ſecutum?
At, ſeu forte alti penetras jam limen Olympi,
Seu ſpatio ſuperos orbes decurris aperto,
Sive Agnum, ut pueri inſontes, comitaris euntem:
Hæc quam ſupremo devovi funere pro te,
Tecum erit hæc anima, atque plagas comes ibit in omnes:
Nec tua chara meo de pectore cedet imago.
Nam memini, cùm te egregias ad Apollinis artes
Formarem, primos inſpirans laudis amores,
Ut pollens acri ingenio & præſtantibus auſis,
Implebas animum monitis, & ad ardua niti
Promptus, & ingentes jam menti aſſueſcere curas.
Et quamquam obſtaret labor, ætatemque teneret,
Ibat amor laudis ſuper, & jam nota voluptas
Vincendi, ſperata animum jam palma movebat.
Nam dum ſe ſtudio exercet numeroſa juventus
Monte ſuper Claro, doctoque in pulvere ſudat,
Primus & ire viam, & ſocios ſuperare priores
Tendebas, pulchri pretio inflammatus honoris.
Mirabar, tenui jam tum ſub pectore, grandem
Magna movere animum, jam ferrum ac tela frementem
Et quoties quidquam de bello audiret, & armis,
Jam tenera ardebat circum præcordia ſanguis,
Et torva optatum ſpirabant lumina martem.
Vixque puer triſti jam tum non cedere leto,

Obnixus, fuſo ſperabat ſanguine lauros.
Quid referam, primis ut jam properaret ab annis
Durum laudis iter teneris inſiſtere plantis?
Victrici quoties ut vinctus tempora palmâ
Magnanimus Juvenis divinæ Palladis artes
Ceperit, exſuperans animi, & ſtudioſus honoris.
Non illum blandæ ætati permiſſa voluptas
Tardavit properantem, & ad ardua quæq; paratum.
Quid porro reliquas ALPHONSI dicere dotes
Inſtituam? quid mentis opes, quid cætera longo
Carmine magnarum pergam præconia laudum?
An memorem largam ſpargenda in munera dextram?
Aut juvenem ſocios omni prævertere amore,
Semper & officio aſſuetum certare priorem,
Deinde mereri animos, & conciliare merendo?
Ludo impendendos conceſſa per otia nummos
Partiri interdum, & miſerorum impendere turbæ:
Nil inconceſſum faſtu affectare ſuperbo,
Aut ſibi, quas nondum meruiſſet, ſumere partes.
Et quamquam merito ingenti & popularibus auris,
Evectus grandis fortunæ pondera ferret,
Omnis quamquam aulæ jam conciliaſſet amorem.
Ibat par cunctis, nec quos ſuſpirat inanis
Ambitio, fœdè vanos quærebat honores.
Hoc Puero ingenium! hi mores! hæc ilicet olli
Prima rudimenta! & magnarum exordia laudum.
At ſuperi hunc terris tantum oſtendere, neq; ultra
Virtutem paſſi tantam ſe extendere factis:
Eſſe ſuum optarunt. Quod ſi fortuna tuliſſet,
ALPHONSOQUE ſuis robur veniſſet ab annis,
Quam forti durum ſpiraſſet pectore martem,
Antiquæ gentis memor, & virtutis avitæ?
Quamq; habiles ad bella manus moviſſet? & omnes
Quàm promptum ſeſe in caſus quàm ſponte dediſſet
Et ſeu fulmineum plenis jam viribus enſem,
Horrida ſeu valido torſiſſet tela lacerto,
Armato ſeſe non quiſquam impune tuliſſet
Obvius, aut paribus contra objeciſſet in armis.

Illa dabat de ſe præſagia, pectore ab alto
Jam laudem affectans lucis contemptor, & acer
Invictuſque animus: præclaræ ſemina mentis
Namque dabat patrius vigor, & natalis origo:
Hos animos Puero, hos ignes tu Maxime JULI
Virtutiſque tuæ magna incendebat imago.
Dumque tibi ſtrage immensâ, multoque ſuperbus
Sanguine, proſtrato retuliſſet ab hoſte triumphos,
Quam tibi blanda tuum moviſſent gaudia pectus?
Ac mors præcipiti rapit heu! tot gaudia leto,
Et ſpes tam lætas intercipit! O mihi tantâ
Clade ſuper, quis juſta meo det verba dolori?
Sed quid vana autem verbis ſolatia quæro?
At dum, magnanime ô JULI, tot acerba tuorum
Funeraque, & caſus, & fata domeſtica, & ipſum
Egregium factis olim, inſignemque futurum
ALPHONSUM triſti præreptum funere plango:
Ipſe tuas clades regni ſolare triumphis.
Gallica namque tuis dum tantùm lilia florent
Conſiliis, fugiuntque hoſtes, ſi triſtia quando
Tranſverſa incurrunt lætis: quodcumque pericli eſt,
Publica res dum ſalva, tui oblivifcere luctus,
Communi rerum ſucceſſu lætus, & omnis
Jamdudum certus fati, certuſque favoris.
Et ſi tantus amor fines extendere noſtros,
Atque novis iterum LODOICUM implere triumphis:
Te, JULI, regno incolumem ſervare memento.
Hæc animum jam cura habeat tam juſta, neque ullis
Diviſum toties per tanta negotia pectus
Præterea frangi curis patiare tuorum.
Ex quo orbem, & populos, & publica commoda curas,
Non te privatos jam fas audire dolores.
Poſtque extincta tuæ jam tot decora inclita gentis,
Diſce animum adverſis durare ad grandia rebus.

IN OBITUM CLAUDII MEMMII AVAUXII.

CUM funeſta tuos totum vulgaret in orbem
Fama obitus, magne ô Memmi, populoſque frequentes
Ducendum ad funus mœſto clamore cieret,
Aonios porrò in montes pernicibus alis
Venit, ubi Muſis templum fundavit Apollo.
Tunc mediis in templi adytis, araque ſub ipſa
Inſignem meritis, & multa laude ſuperbum
[illegible]ſarum ſacra turba, choro alternante, canebat
Memmiadem, meritoſque viro dicebat honores;
Et memorabat, uti primis properaret ab annis
Magnum laudis iter teneris inſiſtere plantis,
Externos ut mundi orbes, externaque regna
Pro Patriæ imperio, pro religione tuenda
Luſtrarit. Scyticæ tu morem imponere genti,
Tu durum orando potuiſti vincere Dacum.
Ipſe & Riphæis damnatus Sarmata brumis,
Ipſe Geta, ipſi etiam gaudentes cæde Sicambri.
Dum tu Romuleos ſuadebas ſumere ritus,
Pendebant fixi docto dicentis ab ore.
Talibus Aonidum celebrabat turba Sororum
Memmiadem, cum fama volans narravit eundem
Ereptum fatis, & acerbo funere merſum.
Ut primùm attonitas pervenit triſtis ad aures
Nuncius, indigno ruperunt candida planctu
Pectora plorantes Muſæ, cantuque relicto
Fugerunt paſſis templi in diverſa capillis.
Intremuêre imis ſacræ è penetralibus ædes
Araque nigranti ſudavit plurima tabo.
Illum & deſertis flevit ſub vallibus Echo
Fleverunt mœſti fontes, & murmure rauco
Narravere ſuos, offenſa ad ſaxa, dolores

Quinetiam obſcœni cælum, quo purius ullum
Non fuerat, cælum obſcœni infecere vapores,
Aſtrorumque graves hebetarunt lumina fumi.
Voſque adeò caſtæ veſtro ſub monte Sorores
Æternis tanto pro funere luctus haberet,
Ni lucere ſacros, magna inter ſidera, Manes
Memmiadæ, cælo Phœbus monuiſſet ab alto.

TRIUMPHALIUM
LUDOVICI XIII.
MONUMENTORUM
EX EDITIONE
JOANNIS VALDORII
DEDICATIO.

HUc ades, ô quocumque agitas in tramite cæli
Immortale ævum; ſeu te cumulata triumphis
Gloria flammato generoſi Martis in orbe
Cælo efferre caput dedit, aſpectúque beato
Fundere divinos ægris mortalibus ignes;
Seu via, ſinceri quæ candens lactis, apertum
Pandit iter magnis virtutibus; inclyta ſeu te
Aſtræa, ut quondam, gaudentem nomine juſti
In gremio fovet, & multa te luce coronat;
Seu te Borboniis habitata heroibus aſtra;
Seu te habeant ſtellæ ingentes, ſeu purior æther:
Huc ades, ô LODOICE: & ſi quid deinde meremur,
Huc oculos, huc ora, quibus dum vita manebat
Jura dabas mundo, radiati huc lumina vultûs
Inflecte, & noſtri curam dignare laboris.
Aſpice quem (poſt fata) tibi poſuere triumphum
Plorantes Muſæ, & mixtæ plorantibus Artes.

Argumentum ingens laudum, & memorabile tanto
Quanto omnis purum luxus; namque illud ab arte
Quidquid id est, tibi surgit opus. Non vasta domorum
Machina, & insani moles operosa laboris,
Quam ventura ætas ni tollat, sæcula vertant,
Fortunæque vices, & inevitabile fatum.
Non hîc immani patefacta voragine tellus
Tartareas reserat sedes: noctémque profundam,
Non suspensa altis vacuas hîc pendet in auras
Porticibus domus, aut vallo prætenta minaci,
Non montes imis olim è radicibus actos
Duravit muris, spatióque coegit iniquo
Aut circum adducta pontum tellure repressit
Conductus populorum auro, & sudore redemptor;
Ingenii est quodcumque tibi, LODOICE, paratur.
Nil tale Ægyptus, per tot miracula rerum,
Prodigiis famosa tulit, dum vana superbo
Regibus ipsa suis ducebat funera fastu.
Illa quidem lethum contra, annorúmque ruinam,
Moliri æternum vivaci in marmore funus
Tendebat, moléisque altas æquabat Olympo,
Nec quicquam: duri sed enim inclementia fati
Has pessum egit opes, tantáque è strage vetustas,
Illustres etiamnum ostentat victa ruinas.
Hîc tempus nil juris habet, rerum optima quando
Partem opere in tanto meliorem fama tenebit.
Hanc, LODOICE, tibi junctæ virtutibus Artes,
Hanc Musæ posuere ædem, quam nulla vetustas,
Non ferri vis ulla, nec ulla injuria fati
Evertat, non si toto furor improbus orbe
Se tollat contra, totámque exerceat iram.
Hîc tua te virtus, annis & tempore major,
Seu regnantem orbi, sive horrida bella gerentem,
Sive triumphantes agitantem in prælia turmas,
Famâ immortali seros celebrabit in annos.
Hîc te collecti scelerata sub arma rebelles,
Hîc ipsi te hostes post mortem, & fata, pavebunt;

Hîc gentes bello egregias, animísque feroces
Imperio assertas, fama, & virtute domabis:
Hîc populi pacem orabunt. Tu denique morem
Impones mundo, & rerum tractabis habenas.
Hîc regnandi artem tua quondam exempla docebunt
Venturos à te reges, & jura daturos.
Túque prior tantis præsens illabere cœptis,
Dúmque tuæ hîc annis adolentur odoribus aræ,
Hunc etiam exigui fumum ne despice thuris.





CARMINUM LIBER TERTIUS.

ELEGIÆ.

SEQUANA PACIS NUNTIUS, ET PUBLICÆ FELICITATIS VATES, AD LUDOVICUM XIV.

ELEGIA I.

Vos ego ludentes vidi per cærula, Nymphæ,
Quæ Parisiacæ regna tenetis aquæ.
Festa caput, vili pro junco, laurus obibat,
Implebátque sacras mollis oliva manus.
Stabant adversæ declivi margine ripæ,
Quæ vicina colunt rura, lacúsque deæ.
Mirabar quorsum ludus spectabat, & unde
Tantus is, in toto flumine, plausus erat.
Miranti, motu arcano, se pandere visus
Amnis, spumantes pons ubi rumpit aquas.

Mox deus ipſe loci thalamo proceſſit ab alto;
  Non ſalice humentes vinctus, ut ante, comas.
Sed plexæ laurus ſimul, & candentis olivæ
  Prætextus circum tempora ramus erat.
Attonitámque ſacro perculſus numine mentem,
  Fatidico tales fudit ab ore ſonos.
Gratia dîs, dextræque tuæ, pax redditur orbi,
  Debita erat fatis quæ, LODOICE, tuis.
Ite coronati per flumina noſtra phaſeli,
  Quos fecit bellum, ſuſtulit ille metus.
Ah! memini, cùm Mars nuper civilibus armis
  Vicinos quateret ſanguinolentus agros.
Ipſa meo facies & erat miſerabilis amni,
  Et tumidis pallens ripa tremebat aquis.
Nam gravibus flammis cùm bellum arderet, ab ipſo
  Flumina currebant turbidiora metu.
Inde meos contra mores furioſior ibam:
  Venerat à belli fluctibus ille furor.
Nunc mihi, nunc toti regno, mitiſſime Princeps,
  Moribus omnia ſunt facta ſerena tuis.
Namq; tibi poſtquam, tua quando id fata ferebant,
  Arbitrium armorum Mars tuus omne dedit:
Innumeris etiam, quos contigit uſque mereri,
  Acceſſit titulis pacificantis honos.
Et quam tot bellis non obtinuere tot anni,
  Pax facta eſt, dextræ munus, opúſque tuæ.
Vos pacem pueri, pacem celebrate puellæ,
  Otia pacato milite mundus agat.
Horrida quæ populos terrebant arma, ſilebunt:
  Nec tuba rauca dabit, quos dabat ante, modos.
Templorum ſacris defixi poſtibus enſes
  Relligionis erunt ſigna, furoris erant.
Agricola incurvo poterit ſecurus aratro
  Jam non vaſtandæ credere ſemen humo.
Multa peregrinas, pacata per æquora, merces
  Ad portus noſtros navis Eoa feret.
Florebunt artes, quæ, bello ardente, jacebant;
  Virtutíque ſuus reſtituetur honos.

Non incerta cano : pacis manifeſta futuræ
Signa dedit, myrto tempora vinctus Hymen.
Paciferæ ramum populis LODOICUS olivæ,
Illâ prætendit, quâ tulit arma manu.
Et quam non meruit tot votis Cæſar amicus,
Sponſa venit Franco, cui prius hoſtis erat.
Quem toties tremuere ſuâ de rupe Pyrenes,
Quod nolim fratrem jam meminiſſe Tagum.
Ipſe animos fulménque premit rex Francus, & iram,
De modo terribili milite, factus amans.
Quin etiam, tulerat quando victoria, leges,
Quas dare debebat, victus amore petit.
Ipſe accinctus Amor pharetrâ, plaudentibus alis,
Adjuvat augurium pacis, & arma vetat.
Tu fulmen LODOICE tuum, tua tela reconde,
Hoſtibus ah! nimium cognita tela tuis.
Pone modum bello : nec enim bene quæritur armis,
Qui magis obſequio conciliatur amor.
Inter Iberiadas virgo pulcherrima nymphas,
Has tibi fert, quas non altera ferret opes.
Tu tantæ ſubmitte animos, atque arma maritæ,
Illa tibi pacis dote ſuperba venit.
Majorem thalamo ſociam ne quære, vel ambi:
Nil jam quod majus ſpondeat, orbis habet.
Nam cùm terrarúmq; ſpem, votáq; publica portet,
Par majeſtati dos erit illa tuæ.
Bœtis opes, aurúmque Tagi, pretioſáque Gangis
Litora ſint aliis invidioſa procis :
Si pacem pro dote ferat THERESIA Franco :
Omnis ab hac orbis dote beatus erit.
Fœdere tam ſancto componere bella per orbem
Res erat ingenii, fortis JULE, tui.
Plaudite mortales paci, paciſque miniſtro,
Mentis JULEÆ pax opus illa fuit.
Dum loquor egregium veniunt ad fœdus amantes,
Aurea quo terris ſæcula rurſus erunt.
Qualia Saturno quondam regnante vigebant,
Florebátque bonæ ſimplicitatis amor.

Felix connubium, cujus de fœdere sancto,
Par mundi votis pax opulenta venit.
Jámque datur Franco THERESIA, bella per omnem
Europam, vultu compositura suo.
Sic vos festus amor, sic jungat pronuba Juno,
Sic dexter vobis sic bonus adsit Hymen:
Ut surgat vestro de sanguine pacifer heres,
Vestræ pacis opus qui bene semper amet.
At tu cum spoliis jam non cumulatus opimis
Quadrijugis venies conspiciendus equis:
Conjuge sed magna, & dotali pace beatus,
Perpetuum populis Rex bone carmen eris.
Te neque publica vox, neque te privata tacebit,
Ex quo per pacem factus es orbis amor.
Rustica te dicet pubes, cum pace sub alta
Ducet araturos rura paterna boves.
Liba tibi mixto sacrabit adorea lacte
Pagus; ubi magnæ copia messis erit,
Orabunt acti ventis tua numina nautæ,
Fiat ab ingenio mitis ut aura tuo.
Te rupes, te saxa, cavis te vallibus amnes,
Omnis te festa voce sonabit ager,
Per te cessatis ubertas reddita campis
Spem magnam agricolæ luxuriosa dabit.
At tibi dii, tanto pro munere, justa rependant,
Et veniant votis omnia læta tuis.
Téque tui, externíque colant, timeántque rebelles:
Et quicúmque parum forte timebit, amet.
Tantorum interea fatorum nuncius ibo
Æquoreis nymphis, Oceanóque patri.
Dicebat: lævo cum fulmine dicta probavit
Jupiter, ex ista parte serenus erat.
Nec plura effatus thalamo se reddidit imo:
Fit strepitus, pulsæ personuistis aquæ.
Omnis Nympharum chorus audiit: undiq; plausum
Responsant auræ, murmure ripa fremit.
Fama volat totam rumoribus acta per urbem,
Et dulci pacis nomine cuncta sonant.

Inde omnes orat plebs omnis fuſa per aras,
Pacificum regem, pacificóſque dies.

JULIO CARDINALI
MAZARINO
PRO CONSTITUTA, PER PACEM, PROSPERITATE PUBLICA DESIDERIA RERUM OMNIUM PROSPERARUM.
ELEGIA II.

O Qui bellorum cùm ſis ita laude ſuperbus:
Almæ blanda tamen plus bona pacis amas.
Et dum magnanimi miſcebant prælia reges,
Pro populis rerum conciliator eras:
O! tibi, pro facto egregio, mitiſſime JULI,
Dent ſuperi meritis præmia juſta tuis.
Nam quidquid de te jam publica fama loquatur,
Vix erit in laudes hæc ſatis ampla tuas.
Utque alii fuerint, qui te celebrare poëtæ
Auderent, magni vox quibus oris erat:
Cùm laudum, JULI, moles ſit tanta tuarum;
Non auſim tantæ ſumere molis onus.
Fortibus imprudens ne quando indulgeat auſis;
Mens argumento ſit minor ipſa ſuo.
Quod licet, atque meis non eſt conatibus impar,
Pro te cælitibus vota, precéſque feram.
Qui modò ſint faciles, & magna incœpta ſecundent,
Fortè meis votis ambitioſus ero.

Vos ſuperi, quorum ſub numine grandia cœpta
Spiramus vates, gens animoſa, ſacri.
Et tu divinis fons ô! memorande poëtis,
Pegaſus arguto quem pede fodit equus.
Quæque per Aonias ſecreto murmure valles
Vatibus unda fluis non temeranda bonis.
Vos ſuperi, Muſæque, meis a[illegible]ſtite dictis.
Dum venit ad partes carmen amórque ſuas,
Omnibus effundo jam vela patentia votis.
Vos facite optatis pondus ineſſe meis.
Quod pro te poſſum, pacis divine Miniſter,
Et quod non nolis ipſe, velíſque pati.
Omnes cælicolas votis precor omnibus: ut cum
Dona tibi dederint plurima, plura parent.
Námque tibi, meritis pro talibus, omnia quando
Contulerint, meritis inferiora dabunt.
Qui poſtquam caſus bellando exhauſimus omnes,
Tempora jam nobis commodiora paras:
Et demum extincto belli, armorúmque tumultu:
Jam patriæ fundas otia certa tuæ.
Sis felix, lætúſque, iſto pro munere, JULI,
Et bona contingant, lætáque cuncta tibi.
Quidquid agas, cœptis bona lux precor omnibus adſit,
Unde tibi fauſtum perficiatur opus.
Cùmque manus puras ſupplex ad ſidera tolles:
Numina ſint precibus non aliena tuis.
Oſtendat totum, famâ plaudente, per orbem,
Se tuus in multa luce videndus honos.
Te mare, te tellus, te noverit ultimus orbis,
Omnis ſit laudis conſcia terra tuæ.
Et populos longè feſto clamore per omnes,
Nomen JULÆUM plauſus, & aura ferat.
Tótque feras laudes, quot dicitur ille tuliſſe,
Sub quo pacatus principe mundus erat.
De tibi ſperatis ſint publica gaudia rebus,
Feſta ſit ut populo, quæ tibi læta dies.
Si fuerit, quando affectas ſublimia rerum,

Per non tentatas impetus ire vias,
Pérque gradus omnes meriti contendere honoris,
Ad quem magna tibi gloria pandit iter:
Sic tua deinde ratis pelagus decurrat apertum;
Ut venti ſpirent in tua vela ſui.
Et qui ſpumantes agitata per æquora fluctus
Tolluntur, nutu ſténtque, cadántque tuo.
Si quos fortunæ caſus, & iniqua tuliſti
Tempora, pars vitæ cætera nube vacet.
Dúmque miniſtrabis regno, clavúmque tenebis:
Nulla miniſterio lux ſit acerba tuo.
Ah! ne illos contra tollant ſe nubila ſoles:
Nulláque de cælo ſtella ſiniſtra micet.
Quamquam parce queri, ſi te jactavit iniquis
Aſpera ſors fatis, & tibi dura fuit:
Cui nihil adverſi ſi tempora noſtra tuliſſent,
Tu fortunatus, ſed ſine laude fores.
Nam cùm te fatis premeret fortuna, probavit,
Quantæ, quam duro tempore, mentis eras.
Nunc mutata, ſuum ſervabit deinde tenorem,
Per non difficiles laudis itura vias.
Et jam longè à te, fato meliore, faceſſant
Omnia felici non patienda viro.
Nam quando per te crudelis turbine belli
Confuſis rebus mitior aura venit:
Jam pede inoffenſo ſeriem decurrere vitæ
Dignus es, & fato candidiore frui.
Proinde ſit illa precor, quâ rerum pondera portas,
Majori longè pectore cura minor.
Dum nox in noſtram tibi pervigilanda ſalutem
Ducitur: ah! nolis immemor eſſe tui.
Quamquam ô! tot rerum, quas tu, pro munere, tra-
ctas,
Ne faciat ſomnos cura vel ulla breves.
Non vani ſubeant animum, turbéntque pavores:
In placido ſcopulos ne patiare mari.
Nullorum ſe ſe vis importuna dolorum
Objiciat paci, Pacifer alme, tuæ.

Quíque premit nodis te morbidus humor aquoſis
  Oro, alios cruciet, qui meruere, pedes.
Nulla ſit ullius morbi vis improba, quæ det
  Plorandas nobis per tua damna vices.
Et quod tot perdit, tot perdidit ante miniſtros,
  Conſilii ne te grande fatiget onus.
Sed poſitâ interdum curarum mole quieſcas:
  Atque tibi, ut nobis lenis es, eſſe velis.
Sic tibi contingant quæ præſtas otia terris,
  Sic vacet authori pax quoque & ipſa tuo.
Nec ſis ſollicitus, fatis felicibus ibit
  Dum tua ſpectabit ſidera, noſtra ratis.
Non alia incerti reſpectent ſidera nautæ:
  Una regat reliquas JULIA ſtella rates.
Stella futura bonum populis, & regibus omen,
  Inter ſpectandas annumeranda faces.
Illa & monſtrabit mundo, quid fœdera firmet,
  Et quid amica bonæ commoda pacis alat.
Dictabit populis ſua fata, ſuóſque labores,
  Fortunæ certas impoſitura vices.
Sic regat interea populos LODOICUS, ut in te
  Totius imperii grande reponat onus.
Qui ſi non eſſet, nec Gallica ſceptra teneret,
  Nullus, cui poſſes eſſe miniſter, erat.
Utque ſuis per te terror fuit hoſtibus, idem
  Per te ſit plebis portus & ara ſuæ.
Sit piger ad pœnas, ad præmia danda paratus,
  Pérque tuas jaciat fulmina rara manus.
Sint alii, qui ſe malint, ſperéntque timeri,
  Sit te qui timeat nullus, & omnis amet.
Ora bonæ plebis laudum ſint plena tuarum:
  Et laudum pars ſit maxima, plebis amor;
Ille animis altè inſcribat tua nomina noſtris,
  Ut ſint annales, pectora noſtra, tui.
Utque diu ſub te ſit moles publica rerum,
  Cæleſtes Francum ſi, modo nomen ament:
Tempora quæ faciunt, currant tibi lentius horæ:
  Ut veniat capiti tarda ſenecta tuo.

Et ſi qui erumpant ſacro de vertice cani,
Si qua tuam frontem ruga ſenilis aret:
Ætatis non tam, quàm majeſtatis ab illis
Cervici creſcant ſigna verenda tuæ.
Ut poſtquam totum meritis impleveris orbem,
Hanc Fortuna tibi dum tua præſtat opem:
Non prius accipiat magni te regia cæli,
Neſtoreos æquent quàm tua fata dies.
Utque tibi bona nulla vacent optanda, laborent
Pro deſideriis publica vota tuis.
At tua compoſitis ne perdas otia rebus,
Materies noſtris laudibus eſſe velis.
Urbibus in mediis, rerum monumenta tuarum
Extent conſpicuis aſpicienda locis.
Atque triumphales eductis molibus arcus
Res ſublime tuas, & tua facta ferant.
Ipſi oratores pariter, pariterque poëtæ
In laudes ſolvant ora diſerta tuas.
Omnia plebs omnis de te præconia jactet,
Adque tuum nomen feſta theatra ſonent.
Et ſola terrarum trans ultima, tránſque remotum
Oceanum, gemino fama ſub axe volet.
Ipſa autem ante alias plaudat tibi Gallia gentes,
Et ſervatorem te canat eſſe ſuum.
Luna prius currus agat ambitioſa diurnos
Et ſol nocturnis palleat actus equis:
Illa tibi meritas quàm ceſſet reddere grates,
Aut ſileat laudes invidioſa tuas.
Si quid apud Muſas pro te mea vota valebunt,
Hoc voveam imprimis, præ reliquíſque precer:
Ut tibi contingat vates, ô maxime JULI,
Qui tua ſat forti pectore facta canat.
Hactenus id nulli potuere, ignoſcite vates,
Pro vobis nimiæ res ea molis erat.
At quicumque tuum violavit carmine nomen,
Seu vates, vatum ſive ſit ille pudor,
Pendeat Aonii probrum, atque infamia montis,
Crudáque carnivoræ viſcera paſcat avis.

Exemplum paveant alii, viténtque poëtæ;
A quibus immanis sit procul iste furor.
Tu tamen, ut fuerit qui te fortasse maligno,
Vatibus è patriis læserit ore canis,
Perge favere bonis, JULI, bonus ipse poëtis,
Si puro fieri carmine magnus ames.
Et si forte suos tua nondum gloria fines
Implevit, si quo progrediatur, habet:
Adde tuis etiam, quod defuit ante, triumphis;
Pro restauranda relligione, decus.
Ut si deinde dolos, & crimina perfidus error
Non bene mendaci sub pietate tegat:
Dira tuæ monstrum submittat colla securi,
Fascibus oppressum, sideribúsque tuis.
Hostibus ut postquam, sua demum in claustra, repulsis,
Gessisti patriæ rémque, decúsque tuæ:
Inferno moveas etiam sua bella tyranno,
Et palmas, domito de Phlegetonte, feras.
Si facias, JULI, non jam reor abfore, quin mox
A te omnis leges, fatáque terra petat.
Fallor! an augurio tali te respicit orbis
Totus, & ipsa orbi Roma favere parat.
Vo septemgemini vos nato assurgite colles:
Et pars Romani sanguinis ille fuit.
Audior! Applaudunt Capitolia vertice ab alto:
Annuit ipse suis hoc Tiberinus aquis.
Non jam incerta fides, post tempora certa, putandum est,
Hoc etiam fati fascibus esse tuis:
Ut quæ pacavit mundum, sit Judice Roma,
Cui reges figant oscula digna manus.
Quidquid eris: nec enim belli armorúmque minister
Post hac esse potes: pacis amator eris.
Armáque sint aliis armis congesta, trophæum,
Crudelis belli sanguinolentus honos.
At tibi, qui duri potuisti incendia Martis
Tollere, pax per te facta, triumphus erit.

Et si forte humeros Franco subduxeris orbi:
Omnis terra tuum tunc onus esse queat.
Si Roma annuerit, neque mundi vota refutet:
Qui patriæ fueras, & pater orbis eris.

AD DUCEM MONTOSIERUM DELPHINI FRANCIÆ EDUCATIONI PRÆFECTUM

ELEGIA III.

Ipsi, Musisque studiorum Delphini fortunata primordia gratulatur.

AUra favet Musis: per te DELPHINUS alendus,
Arbitrio datus est, Montosiere, tuo:
Digna tuis res est meritis, istóque favore,
De justo obtinuit quem tua rege fides.
Muneris istius reputas dum pondera, sentis
Quàm per te porro grande movetur opus.
Nam quando proli te Rex præfecit alendæ,
Commisit curis publica vota tuis.
Te penes imperii sunt jam communia fata,
Semina qui patriæ prima salutis alis.
Lætus honore tuo, tantóque superbus alumno,
Materiæ, quanta est, suffice deinde tuæ.
Quam puero præstas curam, præstabis & orbi:
Quósque facis mores, commoda nostra facis.
Illa tuo cultu quæ sensim attollitur herba,
Olim erit, ut spes est, altior orbe seges.
Auges spem patriæ, talem dum reddis alendo,
Ex quo pars curæ cœpit is esse tuæ.
Vidi ego, cùm nuper studiorum ad pensa vocatus,
Excelsæ mentis pignora magna daret:

Verborúmque modos, & tempora cuncta notaret;
Redderet & patriis verba Latina ſonis,
Et mox è Phædro, mox è Naſone referret,
Impleat ut partes fabula quæque ſuas.
Mirabar pueri reſponſa, vicéſque loquentis.
Dicebam, meritum quale Magiſter habet!
Gratulor hunc vobis tam magnæ laudis honorem,
Pierii colles, Pieridéſque Deæ.
Veſtra tamen pueri turbent ne ſeria ludos,
Quærit ubi veſtras ambitioſus opes.
Si ſapitis, veſtro primæ placeatis Alumno,
Cujus magnanimo ſub Patre terra fremit.
Illius dulces igitur ne rumpite ſomnos,
Ah! duræ nimium, difficiléſque Deæ:
Namque meam, memini, rupiſtis ſæpe quietem,
Quando avidum laudis pectus haberet amor.
Vim removete: premi non eſt qui debeat ille,
In cujus fulmen dicitur eſſe domo.
Sunt quædam, quæ non bene pondera ſuſtinet ætas:
Ne puer ah! puero par male, portet onus.
Hunc meritis implete, colit qui numina veſtra,
O Muſæ, vobis ipſe colendus erit.
Dum vacat, & fas eſt, vos tantum ambite favorem;
Majores eritis, ſi favet ille, Deæ.
Et cujus vobis demum ſic gratia proſit:
Ne puerum veſtris exanimate minis.
Blanditiis Chiron, & verbis lenibus uſus
Dicitur Æaciden perdomuiſſe ferum.
Artis erit veſtræ, ſic conciliare favorem
Principis, ut qui vos temnere poſſit, amet.
Quamquam ô! veſtra novus quando jam caſtra frequentat
Miles, & in veſtro pulvere bella movet,
Illius & ludos turbate, & rumpite ſomnos:
Dum cœptum peragit currere laudis iter.
Ad laudem ſic itur: amet ſe denique cogi,
Plenius Aoniis ut riget ora favis.
Aoniæ proſunt formandis moribus artes,

Principibus ſummis inde petendus honos.
Sed magni ut natus ſpes quondam implere Parentis,
Et reges meritis vincere poſſet Avos:
Utque Patri: cui rerum omnis promiſſa poteſtas,
Conſtaret proles ſanguine digna ſuo,
Montoſiere tuâ, talis tantúſque futurus,
Is curâ Princeps inſtituendus erat.

MUSÆ
COLLEGII CLAROMONTANI
SOCIETATIS JESU
AD GUILLELMUM LAMONIUM
SENATUS PRINCIPEM,
CUM IPSAS INVISERET
ELEGIA IV.

AONII quondam, ut perhibent ad culmina montis,
viſeret ut Phœbum, venerat alma Themis.
Cui Phœbus, noſtris ſuccede penatibus, inquit,
O Dea, te mons hic hoſpite major erit.
Pro Themide accepta, vos magna parate Sorores,
Et digna illius numine, digna meo.
Dixerat, impoſito funguntur munere Muſæ,
Et partes implet ſedula quæque ſuas.
Principio magnum Themidi ſtruxere ſacellum,
Ipſo pro templi limine, Phœbe, tui.
Hortus erat variis juxta cultiſſimus herbis,
Mollis ubi multo flore virebat humus.
Decerpunt flores, intendunt omnia ſertis,
Ut terra hæc florum luxurioſa dabat,
Sacra miniſtrabant Muſæ, primúſque ſacerdos,
Hoſpitiis ante aram ſtabat Apollo deæ.

Omni pro sacro, sub flammis thura sonabant:
  Nulla illam cædes inficiebat humum.
Mons omnis Themidem latè resonabat, & omnis
  Scripta sacro Themidis nomine laurus erat.
Et dum sancta Themis Parnassi regna teneret,
  Fama fuit lætos vatibus isse dies.
Sed valeant vates, sunt hæc mendacia vatum:
  Fabula, quæ fuerat, cœpit habere fidem.
Dum Musas Claro invisis sub monte, LAMONI,
  Has tecum cœpit visere magna Themis.
Nam postquam legum solium, Themidisq; tribunal
  Publica virtuti vota dedere tuæ:
Per te sancta Themis populis oracula reddit,
  Atque tuo leges dictat ab ore suas.
Per te Diva suæ librat momenta bilancis,
  Dum justas legum temperat æqua vices.
Tu primus Divæ interpres, primúsque sacerdos:
  Omnis diva tuo vivit in ore Themis.
In te adeo jam Nympha, suum quæ numen adorent
  De cælo Musas admonet ipsa Themis.
Utque tibi vatum assurgat chorus omnis, & isto
  Monte super, te, quo dignus es, ore canat.
Deliciæ gens sacra tuæ, tua gaudia sacri
  Vates, gens laudes dicere læta tuas:
His præstare æquas si fors dignaberis aures,
  Dum finit hoc rauci turba remissa fori.
Quamquam te gentis studia ambitiosa togatæ
  Plurimâ, ut es meritus, relligione colant.
Monte sub hoc, sacris pubes operata Camœnis
  Æquabit meritis ora, modósque tuis.
Pars tibi dum Francum dictas nunc jura per orbem,
  Atque suas populis dant tua dicta vices,
Dictanti leges populis, & jura ferenti,
  De Claro plausus monte parata dabit.
Carmine pars sacro meritos tibi dicet honores,
  Sacro qui vatum carmine digna geris.
Narrabunt alii, medio cum verba senatu
  Fundis, eat blando quantus ab ore lepos.

Seu tibi majeſtas regis, regníque tuenda;
Curia ſeu verbis erudienda tuis:
Seu componendi, per veſtra palatia, motus,
Cordáque pacandæ concilianda togæ;
Sive emendandi mores, legéſque ferendæ;
Omnia, ab eloquii robore, pondus habent.
Non tam pura fluit rivis illimibus unda:
Nec tam mellitis depluit Hybla favis.
Aula, ſit eloquii quæ vis teſtabitur, aulæ
Namque tuo nuper fas erat ore frui:
Concilio in medio, cum rex LODOICUS amabat
Mulceri dictis, inſtituíque tuis.
Pars tibi & has lauros, noſtro ſub monte, parabit,
E quibus Heroum tempora cingit honos.
Et dum noſtrorum cantu celebrabere vatum,
His animum, & vires, ingeniúmque dabis.
Nec quæ vulgabunt de te præſagia vates,
Omnes in populos omen inane ferent.
Quamquam autem laudes ſit durum audire modeſto,
Quas alii affectant, ſat meruiſſe tibi eſt:
Te noſtri claro æternùm ſub monte poëtæ
Cantabunt, quorum cura perennis eris.
Carminibus noſtris, cùm de te fama loquetur
Majori implebit voce, animóque tubam.
Et cum per populos, per totum erraverit orbem,
Omnia grande tuum nomen in ora feret.
Agricola, incurvo terram molitus aratro,
Te dicet, plenus meſſis ut annus eat.
Te feſta lætus civis laudabit in urbe,
Cui ſis, in duro tempore, ſpes, & amor.
Tu reddis dubiæ divina oracula genti;
Qualia de cælo redderet ipſa Themis.
Tu certum decus omne tuis, ô magne LAMONI:
Tu pater, & patriæ cura, ſalúſque tuæ.
Quamquam commendent te nomina magna parentum.
Virtus pro titulis omnibus una tibi eſt.
Cujus ad exemplum cum jam convertitur omnis

Curia, habet mores inſtruat unde ſuos.
Ipſa tuos ſe ſe ad nutus componere cœpit
Plebs impacati litigioſa fori.
Jamque adeo trepido fraus inſidiata clienti,
Os mentituris diſſimulata notis,
Exulat à veſtro per te procul acta ſenatu:
Pro quâ, ſancta fides, ſimplicitaſque redit.
Te præclaræ artes legum rectore vigebunt,
Atque ſuus Muſis reſtituetur honos.
Tu quoque, magna Themis, quæ Gallica jura miniſtras,
Sub tanto longè judice, major eris.
Nec quiſquam porro præſagia tanta refutet:
Jam dubitare nefas, res facit ipſa fidem.
Hoc de te præſtare poteſt tua maxima virtus,
Et pietas, veſtræ gloria prima domus.
Jam ſunt res geſtæ bona conjectura futuri,
Qui fueris, ſuadet credere, qualis eris.
Nec vani vates erimus. Nam numen habere
Credimur, & ſuperis gens bene chara ſumus.
At ne forte gravet patriæ te cura ſalutis,
Et morum exemplo forma petenda tuo:
Interdum noſtras animum laxabis ad artes,
Hac ut parte tuum grande levetur onus.
Ut quam ſic curas, te ſoſpite, patria longùm
Gaviſa, obtineat votaque, ſpeſque ſuas.
Tum tibi defeſſo Muſarum templa patebunt,
Sedabitque tuam Pegaſis unda ſitim.
Tum Parnaſſi omnes poteris penetrare receſſus,
Nec ſurdæ venient ad tua vota deæ.
Ipſe autem famæ præconia cuncta tenebis,
Quamdiu erunt vates, qui tua facta canant,
Hæc ſunt, quæ de te canere, & celebrare canendo,
Is juſſit, qui nos jam tibi donat amor.
Tempus erit, cum fors etiam majora loquemur,
Quando plus noſtris vatibus oris erit.
Nec tu materiam laudum fortaſſe negabis;
Et tua dignus erit facta referre labor;

Qui

Qui noſtrum quamquam ingenium ſuperabit, & artem,
Exiguæ dabimus grandia vela rati.
Si nos deficiant vires, audacia certè
Laus erit: in magnis eſt voluiſſe ſatis.
Argumentum animos per ſe dabit: ipſaque pro te
Turba erimus vates ambitioſa tui.
Publica ſolemnes faciemus vota per aras,
Quæ non aversâ reſpuat aure Deus.
Ut Francæ Themidis regnum, ſummumq; tribunal
Obtineat longo tempore veſtra domus.
Muſarum interea cultus hos accipe, Muſæ
Ut ſint tutelæ pars quoque & una tuæ.

LUDOVICI
GALLIARUM DELPHINI
EPISTOLA
AD MARIAM ANNAM CHRISTIANAM
FERDINANDI
BOIORUM DUCIS FILIAM
NATU MAJOREM
CUM AD EJUS NUPTIAS ASPIRARET.
ELEGIA V.

EDITA cognato Regum de ſanguine virgo,
Tot patribus, tot avis inclyta Cæſaribus,
Auſtriacas inter longè celeberrima Nymphas,
Jam credo, per ſpes ambitioſa meas:
Cum Patre armatum mirabere forſan amantem,

Qui poſcat ſupplex teque, tuamque fidem.
Nam meminiſſe potes, victricia caſtra Parentis
Cùm patriæ fines attonuere tuæ.
Latè omnis rapido ardebat Germania bello,
Turbatiſque Iſter decolor ibat aquis.
Non ſocias Aquilis acies à Patre fugatas,
Omnia jam nobis diſſimulanda, loquar.
Siccine ſperabam bello te poſſe mereri,
Connubiumque armis ſollicitare tuum?
Aut ad te quærebam illo aſpirare tumultu?
An ſic uxorem quæſiit ullus amans?
Nobile ceu magni pretium certaminis eſſes,
Pro te, pro meritis ſumpſimus arma tuis.
Per tot eras nobis conjux ſperanda labores,
Digna vel è mediis hoſtibus, ANNA, peti.
Dum Germani omnes in nos ſua tela movebant,
Pro nobis ſtabas una, nec hoſtis eras.
Jam tacito, non durà mihi, ſub corde favebas,
Monſtrabaſque meo velle placere Patri.
Magnum prima facis LODOÏCUM poſſe precari,
Adjuvet ut votis publica vota ſuis.
Officium ſubmiſſus agit, parteſque rogantis,
Illâ quâ mundum terruit antè manu.
Quem toties victorem audis, belloque tremendum,
Quemque etiam, ut reliqui, fortè vel ipſa times,
Orantem reverere: fuit nulli antea ſupplex,
Omnibus ille aliis ſcribere juſſa ſolet.
Senſit quantus erat, veſtris qui regnat in oris
Danubius, victas volvere mœſtus aquas.
Non referam, totum ut meritis repleverit orbem,
Luſtraritque armis Solis utramque Domum.
Ut placidis aſſueta illi victoria pennis
Noſtra ſupervolitans gaudeat arma ſequi.
Quique ſuas poterat vobis imponere leges,
Ut reliquis, tuus is maluit eſſe ſocer.
Et Patris & Nati ne ſis contraria votis:
Si Nato non vis cedere, cede Patri.
Dignus honore omni, virtus cui contigit omnis,

Hunc cole, quem tellus pene ſubacta colit.
Quamquam ô! quid ſeſe nobis opponere poſſit,
Quid Socero ingenti, quid mihi obeſſe proco?
Pro Socero ni forte Pater tibi ſufficit, omnis
In tua vota capax non ſatis orbis erit.
Non te indigna peto: poſſis ambire, quod oro,
Et fieri precibus pæne ſuperba meis,
Regalem thalamum, & magni conſortia lecti,
Quaſque tibi nullus ſpondeat alter opes
Ferre paro: quod tot deſperent poſſe Puellæ,
Quando ſola places, ipſa placere velis.
Spem differre meam, permixtaque vota timore,
Per malè quæſitas deſine velle moras:
Neve per ambages, ut gaudia noſtra moreris,
Opponas ſexus jura ſevera tui.
Sed puto, dum legis hæc, & poſceris iſta, modeſtos
Demittis vultus, ac ſubit ora rubor.
Cùm bene me noris, mihi non pudor iſte nocebit:
Tempus erit, cùm te juverit eſſe meam.
Quis ſim, quid faciam, ſi de rumore requiris,
Comperies nomen non ſine laude meum
Quin etiam magni potero, de moribus ipſis,
Agnoſci quondam filius eſſe Patris.
Si genus, & titulos, & grandia nomina jactes,
Ac priſca antiquam nobilitate Domum:
Ut meriti taceam præconia cætera noſtri,
Sanguine te potui promeruiſſe meo.
Non tibi narrabo Francæ primordia gentis,
Et quos quà referat ſtirpe Pipinus avos,
ANNA meis precibus ſi faveris, omnibus ipſe
Major ero Patribus, Cæſaribuſque tuis.
Sic tu digna nurus Regis celebrabere Franci,
Omnis ſub cujus nomine terra tremit:
Cumque coronatis mecum, DELPHINA, quadrigis
Ibis per populos aſpicienda tuos.
Et cùm per vaſtos venientem Gallia fines
Accipiet, Domino terra beata ſuo;
Cùm noſtras tibi, Nympha, Pater ſua regna per

Monstrabit, meritis regna minora suis;
Cum Parisiaci numerosa palatia ruris,
Videris, & reliquas divitis urbis opes.
Cumque novum Francæ Sidus spectabere genti,
Ac nostræ fies portus & aura rati;
Cum per felices uteri lætissima partus
Europæ Reges prole superba dabis.
Te non, spero equidem, non te fortasse pigebit
Sortis honoratam conditione novæ,
Fors erit augusti cùm videris ora Parentis,
Ut majestatem non, Mari-anna, feras.
Est illi species omni de parte verenda:
Altior humano spiritus ingenio.
Sublimes latè vultus de fronte serena,
Ardentesque oculi, viva per ora, micant,
Sæpe omnem illius sapientia terruit aulam,
Cum per verba animum panderet alta suum.
Attinet ingenii reliquas quid dicere dotes,
Quantaque, quàm magnæ pignora mentis habet?
Quæ me autem cujus moles me nominis urget:
Cum Patrem aspicio factaque magna Patris?
Si nescis per eum, Delphina, ad magna vocamur:
Nempe & erit virtus nostra Parentis opus.
Namque supercilio laudemque, decusque severo
Altè inspirat agens omnibus ipse suis.
Nonne vides, ut me egregias formarit ad artes,
His cùm prima ætas erudienda fuit?
Officium monitis nos exercebit ad omne
Ille suis, teneras ceu sua mater aves:
Et tanto dignos faciet fortuna Parente,
Si faciat virtus moribus antè pares.
Aspice ut incumbat rigido studiosus honori,
Justitiæ austerum rite secutus iter:
Ut mentem immensam curas extendat ad omnes;
Pacato titubet ne quid in Imperio:
Sollicitum ut teneat legum tutela suarum
Arctè observari, fasque piumque velit:

Quem ſemper ratio, nunquam fortuna gubernet:
Nil faciat, quod non juſque Deuſque ſinant:
Ut modò bella gerat, modò gentibus otia præſtet,
Maximus ille foris, maximus ille domi.
Quæ ſentire, palam non evulgare juvabit:
Laudibus offendi nam ſolet ille ſuis.
Reginam quid ego Matrem narrabo, futuram
Seu tibi conſiliis, ſeu pietate ducem?
Cùm ſis imper o, cùm ſis digniſſima ſceptris,
Sperare imperium, ſceptraque velle potes.
Ne tibi regnandi, ne nobis illa cupido
Præmatura ſuum venerit ante diem.
Nam mecum regnabis, ero tibi nobile ſceptrum,
Tu mihi: pro regno gratia Patris erit.
Crede mihi, DELPHINA, ſatis regnabimus ambo
Si fortunatus vixerit ille diu.

LUD. HENR. LOMENIO
BRIENNÆ COMITI,
IN EJUS ITINERARIUM,
ELEGIA VI.

Hortatur eum ut litteras, quarum ſic amans eſt, etiam plus amet.

TEMPORA Lomenidæ frondenti cingite lauro
Pierii vates, Pierideſque Deæ.
Ille viam ad veſtros ſcribendo affectat honores,
Cœpit & in caſtris, Phœbe, merere tuis.
Dumque tot & mores populorum ſcribit, & urbes,
Ingenii mores exprimit ille ſui
Nam ſeu ſpumanti currentem vortice Rhenum,
Seu luſtrata maris littora, Dane, tui:
Auſtriadumque aquilas, & tot regnata ſub ipſum

Danubium magnis oppida Cæsaribus :
Seu dicat violentum Albim, celeremque Visurgim,
Et quæ Mænalio terra sub axe riget :
Sive urbes Italas, & magnæ mœnia Romæ,
Cujus divinas Orbis adorat opes :
Seu quidquid pelagi, quidquid telluris obivit,
Romano memoret tam gravis eloquio.
Huic veteri dignus Latio, dulcedine mira
Ingenuo nitidus currit ab ore lepos.
Non tam purus aquæ, puro sub gramine rivus ;
Non tam melliris defluit Hybla favis.
Quos non clamores faceret, si dotibus istis,
Inter nos partes vellet habere suas !
Nam tali ingenio, cœptis tam grandibus, olim
Gloria Musarum magna, BRIENNE, fores.
Quin age, te quamvis commendet splendor avorum,
Aspernare tuas, nos imitatus, opes.
Nam nec opes, nec opum nos tangit vana cupido,
Quique sumus vates, turba superba sumus.
Despice fortunam, mihi crede, nec illius unquam
De thuris fumo læta sit ara tui.
Te majora vocant, nil jam vulgare putantem,
Jam venit capiti laurea sacra tuo.
Et Dea, Pieriæ quæ maxima præsidet unde,
Jam tua sæpe suis ora rigavit aquis.
Nec tibi deinde favor, fortunaque nominis obstet,
Nec quæ Castalias negligit aula Deas.
Sunt tibi, sunt animi dotes : tu dotibus istis
Utere, & ingenii conditione tui.
Esse potes, si te Musarum numina tangunt,
Pierio lumen, præsidiumque choro.
Perge ergo, utque facis, Musarum sacra frequenta,
Ingenii pereant ne bona tanta tui.

DIONYSII PETAVII

SOCIETATIS JESU

TUMULUS.

ELEGIA VII.

HActenus hic magni venerabilis umbra Petavî
Et jacet, & tumulo nullus habetur honos.
Illum adeò totos menses inhonora jacentem,
Non deplorato funere, terra tegit.
Non tumulum frondes non ornavere coronæ,
Quæque rosis spargi debuit, aret humus.
Musarumne sui pia cura in funere Vatis
Deseruit partes, victa dolore, suas?
Saltem ô, Castalios, claro sub monte, liquores
Qui bibitis, Vates, inclyta turba, sacri,
Mecum agite, & tumulum simul instauremus & aram,
Et tumulus sertis, araque thure fragret.
Nam quæ non tanto debemus munera Vati,
Qui nostri montis fama, decusque fuit.
Hunc olim erranti deserta per avia Phœbo
Collibus his sedem constituisse ferunt:
Primus & Aonio deductas monte Sorores
Delubrum clari montis habere dedit.
Laurus eo nostri ruris cultore virebat,
Et largus florum luxuriabat ager
Tum nostræ rupes calamo meliore sonabant,
Pieriæque latex purior ibat aquæ.
Proinde viro egregium tumuli statuamus honorem,
Quem præsens ætas posteritasque sciat.
Cessamus! socios ne etiam vis summa doloris
Officii memores non sinit esse sui.

Nullaque jam veſtri cauſa doloris erit,
Nuper enim leto quamvis occumbere viſus,
Ut roſa brumali quæ cadit icta gelu.
Si qua fides Vati, non vivere deſiit: illum
Ad ſuperas volucrem vidimus ire domos.
Teſtis Luna fuit, cælo quæ pura ſereno
Splendebat, primæ tempora noctis erant.
Lucis ubi radiis Themis alma coronat alumnos,
Quos fecit juſtos integritatis amor;
Huc ibat Puer, at multo jam pulchrior ibat
Inter honoratos accipiendus avos.
Cui Themis, ut cælo venientem vidit ab alto,
Siſte, locus meritis eſt minor iſte tuis.
Semita ſinceri de lumine candida lactis,
Candori ſedes eſt magis apta tuo.
Hic lucent teneri manes, quos funere duro
Matribus ereptos abſtulit atra dies.
Candor eis lux eſt, nam pro candore nitentes
Ætas blanda facit, conſpicuaſque polo.
Junonis de lacte viam lucere ferebat
Fabula, ſed priſcam perdidit illa fidem.
Lactentes pueri ſunt hujus tramitis ignes,
Iſtud non aliis ignibus albet iter.
Tuque alios inter longe formoſior omnes,
Longe alios inter conſpiciendus eris.
Hic tibi moribus his, & adhuc à lacte recenti
Inter celeſtes debuit eſſe locus.
De poto niveum retinebis lacte colorem,
Utque color lactis, lux tibi lactis erit.
Hac Puerum poſtquam Themis in regione locavit,
In vos & Veſtros officioſa Themis:
Continuo natus, planctu quem fletis amaro,
Fit nova lux, capiti flammeus arſit apex:
Arſeruntque comæ, fit totus ſtella ſerena,
Lucidior tanto, quam fuit ante minor.
Et niſi nos fallunt præſagia, ſidere ab iſto,
Sudum tempus erit, dulce quod omen habet
Credo, dies ibunt illo lucente ſereni,

Si primo Pueri convenit ingenio.
Voſque adeo ante alios, Vos ô gaudete Parentes;
Illo veſtra domus ſidere ſoſpes erit.
Namque hoc de nato vobis ſperare licebit,
Ex veſtra poſtquam venit ad aſtra domo.
Hæc Pater in primis tibi ſtella favebit, ut illud,
Quod supereſt, ævi dulce ſit omne tui
Fortunate Puer, poſtquam te accepit Olympus;
Et poſtquam cælum ſors tua prima fuit.
Nulli flendus eras niſi Vatibus atque Camœnis,
Debebas ſimilis ſi Patris eſſe tui.
Ille ſuo facilis jamdudum noſtra favore
Et ſtudia & Muſas, muneribuſque fovet.
Teque adeo talem, ſinerent ſi fata, futurum,
Te Muſis clades perdere magna fuit.
Proinde fleant Muſæ, Vos ô ceſſate Parentes:
Non poterit veſter jam pius eſſe dolor.
Ingenium nato poſtquam cæleſte dediſtis:
Illi terra diu non habitanda fuit.

ALPHONSI MANCINI
TUMULO
SUPREMI HONORES.
ELEGIA IX.

Non ego purpureis tumulum qui floribus ornem,
Ad cineres venio, dulcis alumne, tuos.
Non deerunt alii, curent qui talia, vates:
Quique tuas laudes ad tua buſta canant.
Pars tumulum ornabit, tumuloque recentibus herbis
Ornato, impoſitos ſparget odore focos.
Pars & dona tuo figet pretioſa ſepulcro,
Splendeat unde ſacer, qui tegit oſſa, lapis;

Et lectos calathis flores properabit: & omnis
Floribus è sparsis læta virebit humus.
Pars & Apollineas quod eras tam promptus ad artes,
Frondentis lauri grandia serta feret.
Qualia sed miseri portant ad funera amantes,
Humida de lachrymis serta futura suis.
Pro morum candore, tibi pars cætera vatum
Jactabit plenâ lilia pura manu.
Hanc ego nondum ausim de me promittere curam:
Mittite me vates, qui modo vester eram.
Nondum animus sinit illa: meum excusate dolorem:
De grege jam vestro me vetat esse dolor.
Nuper lætus eram, dum me mea fata sinebant:
Nunc doleam æternùm, displiceamque mihi.
Nam dum te primis informo, ALPHONSE, sub annis,
Dumque colo mores, instituoque tuos:
Et dum te blandæ ætatis flos primus haberet:
Ah! mihi crudeli funere raptus obis.
Non hoc sperandum nobis mens alta, nec acris
Hactenus ingenii pignora tanta dabant.
At nec sacra domus: nam fas est dicere sacram,
Quam justus Franci Principis ambit amor;
Nec, qui Romano fulget sublimis in ostro
JULIUS à sacrâ reppulit æde malum.
Raptus obis: obeunt tecum solatia nostra,
Et quæ spes de te, votaque semper erant.
Hæc tua, mens esset si libera, fata dolerem,
Ipse etiam pompæ pars miseranda tuæ.
Sed negat ingenti vox interclusa dolore
Plorandi justum funeris officium.
Illa tuo circum quæ stat jam turba sepulcro
Ploret, in exequias officiosa tuas.
Feralis longo ducatur ab ordine pompa,
Accipiat tristes flebilis ara sonos.
Spargat rore pio tumulum de more Sacerdos,
Et dicat mœstis verba suprema modis.
At postquam tumulo se turba receperit omnis,

Egerit

Egerit & partes pompa peracta ſuas :
Ipſe ſilens, fletuque gravis, lugubria ſumam :
Pallenti in vultu ſigna doloris erunt.
Accedam, tumuloque ſuper projectus, & amens,
Percutiam triſti pectora nuda manu.
Cordeque ab oppreſſo ſuſpiria crebra ſonabunt :
Ingens turbato fletus ab ore fluet.
Verùm ubi depoſito vox ibit libera fletu,
Et dolor ex aliqua parte levarit onus :
Accipiam multo deterſum pumice ſaxum,
Cui dederit fletus jam pia turba ſuos,
Et tumulum ſtatuam, tumuloque hoc inſuper addam
Carmen, poſteritas quod bene ſera legat.
ALPHONSUS magno tantùm dilectus JULO,
Mancine ALPHONSUS gloria ſpeſque domus;
Aula ſuos cui jam promiſerat omnis amores,
Et fortuna amplas magna pararat opes,
Muneribus jam tum fortunæ dignus, & aulæ,
Hîc jacet, exiguus, quem tenet urna, cinis.
I nunc, & vano fortunæ crede favori :
Cui favor immenſas ſpes dabat, ecce jacet.
Hæc tumulo inſcribam, dum porro dicere Muſæ
Virtutes pergant, ad tua buſta, tuas.
Namque prior faciam, ſi quid mea carmina poſſunt,
Muſarum ſacro ne taceare choro.
Dumque alii vates pro te majora parabunt,
Et tumulum ornabit multa corona tuum,
Munus ego ingenii pro ſimplicitate paratum,
Exigui thuris paucula grana feram,
Injiciamque focis : odor expiratus Olympo
Signa feret cultus officioſa pii,
Sublimeſque vapor cùm fumidus ibit in auras,
Portabit fidei nuncia certa meæ.
Tum me, credo equidem, cælo ſpectabis ab alto,
Neſcius officii ne videare mei.

IN EJUSDEM
ALPHONSI MANCINI
PRÆMATURUM OBITUM.

ELEGIA X.


CUM primâ perimit ſpem turbidus imber in herbâ,
Quam dabat agricolæ luxurioſus ager;
Ille & crudeles ventos accuſat, & imbres,
Quorum ah! præcipiti turbine verſa ſeges.
Tum verò in ſeſe demens inquirit, an ulla
Sit ſegeti forſan cura negata ſuæ.
Mox redeunt animo ſumpti pro meſſe labores,
Et pinguis bonitas ingeniumque ſoli.
Utque ſuam exerceret humum, ſeu vomere duro,
Seu curvâ porro falce fuiſſet opus.
Si quidquam officerent auræ, ſoleſque maligni,
Supplebat vigili ſedulus arte labor.
Dumque hæc ſedulitas, ſuſceptaque cura recurſat,
Accuſat divos, & ſua fata miſer.
Tum ſe, tum ſegetem populatis mœret in arvis
Perditus, & cladem vix capit ipſe ſuam.
Illa fuit rerum ſpecies miſeranda mearum,
Is dolor, hæc animi triſtis imago mei:
Cùm te, ALPHONSE, mihi vis abſtulit improba leti.
Ut florem pluvio quem ferit ore Notus.
Nuper eram cultorque animi, morumque magiſter,
Cùm per me Muſis erudiendus eras.
Nunc dulcis primo raptus ſub flore juventæ,
Qui mihi, qui Muſis erudiaris, abes.
Proh dolor! At non te miſeris turbare querelis,
Jam licet, aut manes ſollicitare pios.

Nam quamvis tibi jam magno, & majora ferenti
Fortuna immensas ampla pararet opes,
Non ego te, casusque tuos, properataque fata
Jam doleo: mea sunt fata dolenda mihi.
Hic ubi Musarum, pubes lectissima regni,
Monte super Clario, dulce frequentat opus,
Te magnus, MANCINE, mihi mandarat alendum
JULIUS, ah! quantæ laus ea molis erat.
Ut se prima tamen dederant exordia, votis
Omnia debebant ire secunda meis.
Namque exultantem & decoris dulcedine captum
Egregius famæ te rapiebat honos
Et memini, cùm laudis amans, ALPHONSE, solebas
Spem festinando sæpe præire meam.
Vidimus ingenuas cùm te tulit ardor ad artes,
Ingenii arderent lumina quanta tui:
Ingenioque bonos felix conjungere mores,
Moribus & magnas addere mentis opes,
Tu socios longe super, ad sublima rerum
Tendebas, laudi quando patebat iter.
Et quoties stadio sese pandebat aperto
Gloria, qui velles currere, primus eras.
Nec mihi spes de te lentas, nec inania vota,
Nec seros fructus mens animosa dabat.
Reddebam superis tanto pro munere grates
Lætus tam facili ponere semen humo.
Si par successus reliquos venisset in annos,
Venisset laudi pars quoque magna meæ.
Namque mihi, quid dissimulem? dum fata sinebant,
Quærendi per te nominis ardor erat.
Inde meus pro te formando, ALPHONSE, per horas
Crescebat plenus sedulitatis amor.
Blanda puella, suæque contigit unica matri,
Sollicitæ curam non ita matris habet.
Non est, eximium si quæ colat anxia florem,
Virgo culturæ tam studiosa suæ.
Ipse tibi lauros summo ex Helicone petitas
Nectebam capiti debita serta tuo:

Te per certarum compendia nota viarum
  Ducebam, longum ne nocuiſſet iter :
Mulcebam nimii faſtidia dura laboris ;
  Pro te ſolertem me faciebat amor.
Et ſemper, dum te monitis, ALPHONSE, colebam,
  Quæ mihi cura tui debuit eſſe, fuit.
Non erat ipſe ſuo Pallas tam charus Aceti,
  Nec tam Theſſalico qui data cura ſeni.
Namque (fatebor enim) lætabar corde ſub imo ;
  Cùm te fama meum dicere poſſet opus.
Pictus Alexander ſi nomen fecit Apelli,
  Si ſua, Praxiteli laus fuit ampla, Venus ;
Quamquam nil præter lapides fuſoſque colores,
  Eſſet Appellæus, Praxiteliſque labor :
Egregias cùm te formaſſem, ALPHONSE, per artes,
  Veniſſentque meæ cuncta ſerena rati,
Fortè etiam ipſe aliquod propter te nomen haberem;
  Atque eſſes famæ pars mihi ſumma meæ.
At ſuperis aliter viſum eſt ; ſi fata tuliſſent,
  Tu mihi laus quondam magna futurus eras.
Nam dum vincebas, & ſors tibi dextra favebat,
  Ipſe & eram laudis clarus honore tuæ,
At dum cuncta meo veniebant fauſta labori,
  Ah ! mors inceptum barbara rupit opus.
Et mihi naſcenti ſegetem interfecit in herbâ,
  Quæ ſpes tam certas tam mihi læta dabat.
Si mea divinas valuiſſent vota per aras,
  Dulcis alumne, mihi reſtituendus eras.
Quamquam ô interitu non fruſtra, ALPHONSE, ſub ipſo
  Viſus es ad ſuperas lætus abire domos.
Felix morte tuâ, nec in hos ſervate furores
  Quos tibi bellorum triſte parabat opus.
Tu fuſo magnum quæſiſſes ſanguine nomen,
  Te diræ cædis ſollicitaſſet amor.
Et niſi per cædes & magnæ ſtragis acervos,
  Nulla tibi bello gloria porta foret.
Vix tam difficili tenuiſſet in æquore, portus

Quæ te vectabat, tuta carina suos.
Nunc quando summo, fati securus, Olympo
Debita supremæ præmia lucis habes:
Non ego, quod nolis, tua sim qui funera plorem,
Hujus non jam fas pœnituisse necis.
Sic quoties menti, mi dulcis alumne, redibis,
Me miserum toties & mea fata querar.
At si te, mollemque animum, dum vita manebat
Prima mihi monitis flectere cura fuit:
Si tibi, cùm duri fureret vis improba morbi,
Monstravi cælum quâ licet ire viâ.
Aut si cùm fugerent animi, frigusque subiret,
Implevit partes officiosus amor:
Si morientem animam excepi, si lumina pressi,
Et solvi exequiis justa suprema tuis:
Si quidquam de te merui, mihi perge vicissim
Mitem, quo frueris conciliare Deum.
Hoc animus sperat solamen dulce dolori,
Ut te felici, desinat esse miser.





CARMINUM LIBER QUARTUS.

ODÆ.

JESUS IN AGRO LUDENS CUM MATRE.

ODE I.

In qua deſcribitur amœnitas ruris.

AT quis hic autem puer, innocentes
Qui parat luſus, ubi prata mollis
Collium flexus, tenuiſque rivi
Unda coronat ?
Túne ſtellarum decor, eruditæ
Prima naturæ facies, ſupremæ
Mentis exemplum, ſoboleſque magno
Æqua parenti ?
Clara, tu, quondam pede qui tonanti,
Aſtra calcabas, volucreſque ſtellas,
Jam ſuper molles violas, & inter
Lilia ludis.

Virgo, non natum decet iſte ludus:
Solis ardentes melius quadrigas
Frænet, & curru ſuperos volanti
Urgeat ignes.
Antequam cæli ſpatioſus orbis
Tenderet vaſtam per inane molem,
Ille jam nubes ſuper, atque ventos
Arduus ibat.
Si per herboſos tamen eſt receſſus
Cura ludentem recreaſſe Natum,
Rure cum læto procul aura vernis
Floribus halat:
Hîc ager vicinus amœnitatem
Dulce reſpirat: ſine nube puri
Hîc fluunt ſoles, zephyrique blando
Murmure ludunt.
Mollis hîc tellus viret, & tepente
Sternitur muſco via, ne rigenti
Vel pedes lædat teneros arenâ
Callis iniquus.
Sive lectorum ſtudioſa florum,
Quæris aptandam puero coronam,
Aut amas molli digito comantem
Carpere myrtum:
Late odoratas tibi promit uber
Hic opes campus: roſa purpuratos
Hîc ſinus, fuſcos violæ, nitentes
Lilia pandunt.
Arbor æſtivo bene multa ſoli
Divite exponit ſua poma ramo:
Frugibus felix beat arva largo
Copia cornu.
Terra quæ dorſo tumet eminenti,
Sponte ſe Baccho dedit: at patentes
Fuſa per campos Cereri laborat,
Ubere gleba.
Sive te fontes, & amœna lymphis
Prata delectent, ubi blandienti

Garriat lætans quærulus per herbam
Murmure rivus.
Non procul leni fluit unda cursu,
Nulla quam turbat ratis, inquieto
Remigum pulsu, vacat otiosis
Ripa phaselis.
Una per campos aqua delicatum
Vitreo labens ciet ore murmur:
Blanda labenti, simul & strepenti
Obstrepit aura.
Humidum litus tepet, & palustri
Texitur junco: per aprica rivum
Arva ludentem tegit explicatis
Frondibus arbos.
Quid voluptates memorare pergam
Cæteras ruris tibi præparati?
Ipsa ridentis plaga ridet omnis
Ore puelli.
Pastor erranti grege feriatus
Inflat arguta calamos sub ulmo:
Colle respondet vagus in propinquo
Carmina pagus.
Interim plaudunt hilarata cantu
Rura, persultat pede pulsa tellus,
Mugiunt valles, ovibusque pastis
Flumina balant.
Personat festo nemus omne plausu,
Ales exultans ovat, & sonoris
Cantibus mutas animasse rupes
Gaudet acanthis.
Garrulus surdas Zephyrus volatu
Provocat frondes, ubi purus undæ
Humor obliquo per agros laborat
Serpere cursu.
Illa naturæ fuit innocentis
Forma, cum prisci niveique mores,
Cúmque sub primi bona mens vigebat
Tempora mundi.

Si quid æſtivi per agros caloris
Forte vitalem tepefecit auram,
Obviam ramo nemus imminenti
Porrigit umbram.
Prona ſe nato ſimul, & parenti
Quercus affundit ſuper, & reclini
Incubans natum pariterque matrem
Fronde coronat.
Perge felices agitare ludos,
Virgo: ludentem mea te ſonabit
Muſa: te ſemper, Puerumque jugi
Carmine dicam.
Sic ames autem recreaſſe Natum,
Ut tuo vati, miſeroque pacem:
Ore quo ridet bonus, & quietem
Annuat orbi.

AD
GUILLELMUM LAMONIUM
SENATUS PRINCIPEM.
ODE II.

Pro recepta valetudine in poſterum diligentius tuenda.

DUM vis improba fervidæ
Febris te rapidis ureret æſtibus:
Tecum me quoque, LAMONI,
Perfixum tenuit corde ſub intimo
Morbi pars violentior.
At quas non precibus, cum fureret dolor,
Fatis oppoſui moras?
Pro te, res ſineret, fataque poſcerent,

Vitam fundere prodigus.
Sed fruſtra facilis reſtituit Deus
Votis incolumem meis:
Si curis etiam pro popularibus,
Somnos rumpere deſtinas:
Nec feſſum ſtrepitu pectus, inutili
Rerum pondere liberes.
Fruſtra ſollicitis fletibus obvios
Fati fregimus impetus:
Si tam crebra ſuis ambitionibus
Fidi turba gregis, tibi
Seris invideat noctibus otium;
Poſtquam non modicam tuo
Partem ſuſtinuit demere de die.
Longè, qui tibi, publicæ
Dum momenta rei grandia ſuſtines,
Rebus frivola de ſuis,
Duri ſæpe tuis auribus obſtrepunt.
Longè turba clientium:
Cum te ſepoſitum dulcis amabiles
Ruris delitiæ tenent.
Hîc mens jam gravibus feſſa negotiis,
Se, ſecreta per otia,
Muſarum teneris luſibus explicet:
Et frons lætior aſpici,
Curarum rigidis libera nubibus,
Riſu ſeria temperet.
Aut dilecta tuas filia dulcibus
Curas deleat oſculis,
Quæ figat facili plurima dexteræ,
Nolenti rapere obſtinet.
Hîc auris & ames liberioribus,
Molli ſub Zephyro, frui:
Jam fractis, humili ſole, caloribus,
Latifundia cum tui,
Acri vectus equo, ruris obambulas:
Venatuque premis nemus.
Nec jam te phaleris Gloria cum ſuis,

Dotalique ſuperbia,
Nec quæ Fama tuas excubat ad fores,
Magni nominis artifex,
Urat ſollicitum. Te nihil attinet,
Vulgares animos ſupra
Tam longè poſitum, quærere turbida
Famam ſolicitudine.
Princeps purpureo jam datus Ordini,
Tantum vive: brevi tuam
Seſe laudis iter ferre per arduum
Emirabere gloriam:
Quo fortuna vocat te tua, publicis
Regni pro rationibus.
Nec lucem hanc animus temnere nobilis
Cælo affectet iter prius,
Quàm toto penitus tollere perfidas
Artes cœperis è foro,
Et luxus populorum intolerabilem
Emendare licentiam.
Atque implenda tuæ denique gloriæ
Poſtquam fata repleveris,
Hos vitæ ſtrepitus, & miſerabiles
Curas deſerere occupa,
Pacis perpetuæ conditionibus.

AD CICADAM.

ODE III.

O QUÆ virenti graminis in toro,
Cicada blande ſidis, & herbidos
Saltus oberras otioſos
Ingenioſa ciere cantus.
Seu forte adultis floribus incubas
Cæli caducis ebria fletibus;
Gaudéſve perſultare campi
Graminei virides per undas;

Seu voce concors accinis æmula,
Pagi eruditas inter arundines;
Aut provocatos cantilenis
Agricolas animoſa vincis:
Seu per loquaces garrula rivulos
Stridore rauco ludis agreſtibus
Laſſis, fatigatiſque bobus,
In medio modulamen æſtu:
Exaggerati ſeu tibi nectaris
Rorem miniſtris perpluit imbribus
Cælum, coronatoſque gemmis
Rotiferis thalamos adornet:
Ades canenti: dum tibi marmore
Vates perenni, carminibus bonus
Molitur immortale templum,
Unde per ora virûm volabit.

AD REGEM
CHRISTIANISSIMUM
LUDOVICUM XIV.
ODE IV.

Oſtendit gravitatem periculi, quod imminebat Regno, per ejus morbum; eumque orat, ut in poſterum à negotiorum multitudine ſibi temperet, & pace quam fecit, frui malit.

NAM quod noſtra ætas potuit committere tantum
Scelus, Deumque provocare vindicem?
Omnes fatorum poſtquam jam ſenſimus iras,
Ut ipſa Regis appetatur & ſalus.

Nam

Nam te rure tuo nuper, LODOÏCE, premebat
Minace morbus horrifer periculo;
Et ſacra inclemens urebat viſcera febris.
Nec Hercules inarſit æſtuoſius.
Ipſa ſui paſſim monſtravit ſigna doloris,
Eo metu præoccupata Civitas.
Quam neque civiles potuerunt perdere motus;
Nec arma Franco abominata militi;
Non ferus Arctoo veniens à Sole Polonus,
Gravique Marte Belga cognitiſſimus;
Non conjuratam quatiens Diſcordia tædam,
Trucem tot implicata viperis comam:
Non impacato Germanus junctus Ibero,
Nec inquieta temporum impotentia:
Una dies illam morbo propè perdidit uno,
Suoque pænè diſſipavit impetu.
Hæc potius Scythico contingant fata tyranno,
Pio ſuprema qui minatur Adriæ.
Illâ quàm melius Thrax miles febre periret,
Per omne litus execratus Italum.
Hoſtibus has, ſuperi, veſtris immittite pœnas,
Propontidique, finibuſque Thraciis.
Perdite ſacrilegos, ſed Regi parcite: veſtris,
Eo dolente, conveniret hoſtibus.
Ille emendando natus ſuccurrere mundo,
Nefarioque temperare luxui.
Ah! longos illum, ſuperi, ſervate per annos,
Suis ut ornet ipſe vos honoribus:
Et Matrem ſervate: ſatis jam vidimus omnem
Coinquinaſſe regiam febres domum.
Hoc mecum, læti Regis de munere vates,
Chori è ſacro ſcientioris agmine;
Hoc omnis Muſarum oret turba inclyta, doni
Benignitate provocata Regii.
Nam Muſas nuper Regis ſe fudit in omnes
Satis ſuperque larga liberalitas.
Carminibus, vates, vos illam dicite veſtris:
Caputque Regis implicate floribus.

Ipſe fidem ſuperis pro te, LODOÏCE, vovendam,
Meumque primus obligabo dîs caput.
Perque aras effundam omnes non parcus, acerris
Sabæa tura de capacioribus.
Orabo Divos, per te, non ultime Divûm,
Tuis ut uſque temperent laboribus.
Ne jam noſtra tuæ perturbent gaudia febres,
Sacroque pacis obſtrepant ſilentio.
Nam ſat divinum fregere negotia pectus:
Ames & ipſe pace jam frui tuâ:
Quodque tuis armis regno, mundoque dediſti,
Tibi deinde ne negaris otium.

IN TUMULUM JOANNIS VERJUSII.

ODE V.

Ejus mortem, quòd uteretur valetudine nimio Litterarum ſtudio pridem affecta, non dolendam.

ET lauro juvat, & roſis,
Et mille hunc tumulum ſpargere floribus,
Feſto non ſine carmine.
Affer tura, puer, nec timidâ manu
Omnem cum tumulo locum
De puris Arabum incende vaporibus.
Nam quorſum tua, Verjuſi,
Flerem cum reliquis funera vatibus,
Atque injuſta dolens, meis
Turbarem cineres de lacrymis tuos?
Poſtquam te mala febrium,
Langorumque cohors, non habilis tuæ
Menti carcere corporis
Exſolvit miſerum, totque doloribus

Perfunctum, atque alacrem mori.
Nam ceu prætumido flumine, literis
Mens undata capacibus,
Formatique bonis artibus ingenî,
Et lucis memor insitæ,
Quærens hospitio non bene mutui
Solvi denique corporis,
Ex longo ad superas ambitiosior,
Affectabat iter domos:
Lætus ducis ubi, grandibus otium
Jam partum meritis, sacro
Permixtus numero nil cupientium.
Hic quæsita laboribus
Tantis, nuda suis se tibi Veritas
Demum è nubibus explicat:
Et de fonte suo clarior aspici,
Cælestis Sapientiæ,
Quam sic doctus eras, jam tibi lux patet.
Hic dum pars melior tui
Regnat deposito libera pondere,
Ridere immiserabilem
Vitæ stultitiam fortis, acerbaque
Nostrorum penitus pati
Mœrorum indocilis: cur ego te gravi
Deplorem querimoniâ,
Humanasque vices? Ah! potiùs paris
Vitæ conditionibus,
Tecum & vivere amem, & sustineam mori.



AD
CLEMENTEM IX.
PONT. MAX.
ODE VI.

Nuncium de ejus Pontificatu communi totius orbis terrarum lætitiâ celebratum.

NOSTRA ſucceſſus habuere lætos
Vota : Romano, datus eſt ovili
Optimus demum vigilare, caro
Pro grege, Paſtor.
Hujus indignam miſeratus æther
Sæculi ſortem, & prece ſuſcitatus
Publica, mundo dedit hoc labanti
Denique munus.
Muneris tanta ſuper impetrati
Gratia, terris procul è remotis
Ultimus monti bene Vaticano
Annuit orbis.
Nec Palatini tacuere colles,
Grande CLEMENTIS decus elevati,
Fauſtitas per quem ſua reſtitutis
Addita rebus.
Ipſa, cum longo grege Gratiarum,
Et Fides, & Pax, & aperta largo,
O Pater, Romam duce te reviſit
Copia cornu.
Læta riſerunt, grege feriato,
Ad tui plauſus hilarata regni
Prata : celarunt ſua nec Sabinæ
Gaudia valles.
Priſtinæ quando grave ſervitutis

Pondus annonæ bonus eximebas!
Fruge vectigal populo in paranda,
Quippe remiſſum.
Munus hoc ſenſit locupletiori
Geſtiens culmo ſeges, & tumente
Meſſium fluctu, ſuperans avari
Vota coloni.
Senſit & flavus Tiberis, profundo
Efferens alveo caput, & beatam
Rite gratatus populo Quiriti,
Te patre, Romam.
Urbs tuum late dedit inde nomen
Per repercuſſas reſonare valles
Collium ſeptem, ſua dum renarrat
Gaudia mundo.
Audiit longe Tagus, & ſonantes
Trans Atlantei pelagi receſſus,
Ferre CLEMENTEM merita ſupremam
Fronte tiaram
Fama vulgavit populis: tubæque
Nunciæ plauſu procul audiendo,
Orbi adorandum didicit ſuperbus
Nomen Orontes.
Senſit Actoris etiam ſub oris,
Nuncium, toto glacialis Hebrus
Litore exultans, hilarique ramo
Fronduit Hæmus.
Te pharetrati didicere Perſæ,
Supplices arcus tibi mitigati
Sarmatæ inclinant, poſitiſque Maurus,
Te colit armis.
Et ſonat quando tuba, te tuamque
Arbitram pacis, Pater alme, dextram
Fluctibus belli male verberatus
Reſpicit Orbis.
At ſuas de te quoque ſpes, ſuumque
Gaudium, gentes ſuper univerſas,
Omnibus late celebravit ingens
Sequana ripis.

Hæresis torvo tamen una vultu
Ad tuum fertur trepidasse nomen:
Ipse Cocytus stupefactus imo
Palluit amne.
Fronte dejecta, malesuadus Error
Pressit os mutum: simul in supremum
Atque te Petri solium extulerunt
Publica vota.
Oderint illi tamen, ire contra
Qui tuos nutus misere obstinarent,
Debiles parere tibi, sibique
Fidere fortes.
Sed tuus te grex amet ut parentem:
Judicem dum te timeant rebelles,
Quando Tarpeïo metuendus igne,
Fulmina torques.

AD EUNDEM.

ODE VII.

Quod à Rege Christianissimo, summus Pacis arbiter propositus sit.

ROMAM venîmus nos etiam exteri
Testes earum, publica vox super
CLEMENTE, quas cœpit per urbes
Fama Italas memorare, rerum.
Famæque dictis omnibus, & fide
Majora longe vidimus, & novum
Regnare Pastorem faventis
Pro populi procerumque voto.
Et te, potentum Maxime, vidimus
Alto supremi pondere consili,
Vix sacro adoratum Senatu,
Attonitæ dare jura Romæ.

Nomenque lætam vidimus ad tuum
Gestire Plebem, cum volitantium
Inter quadrigarum catervas,
Per mediam rapereris urbem.
Tibique plausus à populo datos,
Stupente visus de thalamo Tibris
Audisse, nec circumsonanti
Lætitiam tenuisse ripa.
At, quam benigno sidere, Te patrem
Mundus recepit, tristia detonent
Dum bella, pacandus, tuisque
Religio reparanda curis,
Deliberanda pace super venis
Fatalis Orbi debitus arbiter,
Per regna, quem pro temperandis
Das medium, Lodoïce, rebus.
Favete gentes, mutua quas furor
Armavit in tot funera, & ultimam
Fumantis Europæ ruinam
Unanimi prohibete nutu.
Audimur! En jam de manibus feri
Labuntur enses: lætaque desuper
Serena portendunt quietem.
Paciferæ veneranda dextræ
Se pronus Orbis curvet ad oscula.
Præite reges, pectus inutili
Nudate jam ferro, & virenti
Pontificem redimite oliva.
Longis tubarum pulsa fragoribus,
Redibit alto lætior è polo
Astræa terris, & beatas
Rura dabunt inarata messes.
Superba Lunæ cornua sentiet
Pallere toto Bosphorus æquore; &
Thraces triumphati pavebunt
Vim dominæ geniumque Romæ.
Ipsa & tuorum pondere fulminum
Asserta mundo, & pulcrior aspici

Palam revelabit verendos
Religio, intrepidoſque vultus.
Tum Te videri denique ſplendidum
Leves per auras Gloria fervido
Monſtrabit è curru, labantis
Præſidium, columenque, mundi.
Et fama ſcuto ſcribet in aureo
Illuſtre ſciri nomen, & omnia
Per regna, CLEMENTEM, per omnes
Pacificum celebrabit oras.

AD
PAULUM FONTANERIUM
PELISSONUM
AMICUM SUUM.
ODE VIII.

Ut Romanam fidem, quam profitebantur ejus majores, amplecti velit.

TU me, carmine percitam
Quamvis mentem agitet non humilis furor
Franci dicere militis
Lauros terribilem quas legit ad Liſam,
Tu me ſollicitum tenes,
Fontaneri: animo curaque tu meo
Ex longo acrior inſides:
Audax quod fragili per mare naufragum
Jamdudum rate naviges:
Nec ſat forte tuæ remigium rati,
Nec ſint vela ſatis bona,
Ut portum incolumis difficilem occupes:
Veſtrarum neque partium

Evites ſcopulos naufragiis graves.
Non ſic, tempore priſtino,
Fontaneria gens, nobile ſanguinis
Quondam principium tui,
Non ſic veſtra domus, Romula quam ratis
Vexit per mare, non patres
Sic vixere tui. Quare age, devios
Calles, caſtraque patribus
Deteſtata bonus deſere : non tuæ
Error convenit indoli.
Te ne ah! moribus his, hoc animo, hac fide;
Caris tam bene cognita,
Te ne his, & meritis, hac ſapientiæ
Et tot dotum opulentia,
Heſterni ſpecies frivola dogmatis
Noſtro ſeparet à grege,
Majorum immemorem ſcilicet, & tuæ
Nutrici male credulum?
Ah! ne perfida pax te miſerabili
Tutum fingat inertia.
Sed per lenta tui ſeria conſilî,
Alto mentis in otio,
Contemplare, quibus refluere impotens
Ætas præcipitet rotis:
Et quas pollicitus ſpes tibi, quas ſuis
Olim non violabile
Per numen, moriens aſſeruit Deus,
Tecum denique reſpice.
Et ne, reſtat adhuc dum breve temporis
Momentum, male fortibus
Ne jam conſiliis aut rationibus,
Votis pone moram meis:
Votis omnibus hoc & lacrymis emam;
Pro quo, ſi pietas velit,
Et poſcas, etiam ſit pretium mori.

IN CLEMENTEM IX. PONTIFICEM MAXIMUM.

ODE IX.

Quod ſidus olorum dictus ſit, quando creatus ſummus Pontifex.

ECQUOD conſpicuum novumque ſidus,
Cælo fundere cœpit è ſereno
Luminis radios benignioris,
Atque omnem exhilarare luce mundum!
Toto denique quotquot eſtis orbe,
Vos ô plaudite, nobiles poëtæ
Omnes, omnibus atque cum poëtis
Muſæ plaudite: veſtra res paratur.
Nam regum optimus ille, principumque,
Cunctarum pater ille gratiarum,
E cujus animo redundat omnis
Fons & copia liberalitatis,
Totus pectore, totus ore candens,
Blandi blandus uti ſolent olores,
Et dum prima animos ſinebat ætas,
Qui canebat, uti canunt olores.
Paſtor ille benignus, ille Clemens
Vatum ſidus & eſt, ut eſt olorum.

SERENISSIMO PRINCIPI

EMMANUELI THEODOSIO

A TURRE ARVERNIÆ

BULLONIO

S. R. E.

EMINENTISS. CARDINALI

ODE X.

Quod acceptam nuper à Summo Pontifice Purpuram, sibi meritisque suis unicè debeat.

SIc est: non ego, BULLONI,
  Augur vanus eram, debita cum tibi
Sacræ munera purpuræ
  Jamdudum canerem: nec sua defuit
Vati, quam meruit, fides.
  Et te purpureis patribus additum,
Exultantibus è jugis,
  Vulgavit populis Roma: tibi prius
Quod spes publica voverat.
  Quæ non lætitiæ signa dedit pater
Tybris, lene frementibus
  E ripis? Thalamo nec male reddidit
Plausum Sequana de suo
  At non te meriti muricis ad decus
Promovit temerariæ
  Fortunæ levitas, non popularibus
Auris gratia Principis
  Parta, aut solicitis ambitionibus;

Non te fata domeſtica,
Non diſcrimina per mille Turennius,
Laudem quærere nobilis,
Quando pro patria, & Principe pro ſuo,
Devotus toties mori,
Objectaſque acies rumpere fervidus
Altum fulminat ad Sabim;
Non te illuſtre genus, non avus, aut pater,
Bellis egregii licet
Ambo, conciliis præcipuus tamen:
Et pollens pater arduæ
Mentis, non atavi denique Cæſares,
Qui per Naſſaviam domum
Acceſſere tuæ, non reliquas ſupra
Laudatiſſima fœminas,
Te mater Latio murice veſtiit:
Non clariſſima turribus
Stirps Arverna ſuis, non tibi contulit
Fratrum turba faventium,
Romanæ pretium nobile purpuræ.
Hanc iſti ſapientiæ,
Cujus conſiliis omnia temperas,
Debes moribus hanc tuis,
Hanc debes meritis denique, & his, quibus
Omnes tam bene gratiis
Devincis animos. Quæ veniet brevi
Oſtro gloria de tuo,
In conſanguineos undique principes,
Qui tot fata volentium
Decernunt populorum? O novus incitæ
Si menti incideret calor,
Si vis alta! Quibus ſcilicet, ah! quibus,
Princeps magne, tuum modis,
Plaudentes canerem per populos decus?
Quo te carmine dicerem?
Quamquam ô, ſpero equidem, languida pertinax
Sacrorum taciturnitas
Si vatum ora premat: mox erit, ut tuum
Gentes

Gentes nomen ad ultimas
    Centum Fama tubis ferre præoccupet:
Nec jam juſtitiæ ſoror,
    Virtutiſque comes Gloria, cæteros
Demum provehere ad gradus,
    Te ſic promeritum differat: id tibi
Nato ad grandia ſpiritu,
    Vis excelſa tuæ ſpondeat indolis:
Nec regis favor abnuat:
    Id regnum velit, & relligio petat.

AD
CHRISTIANUM LAMONIUM,
IN SENATU PARISIENSI
ADVOCATUM GENERALEM,
PRINCIPIS SENATUS FILIUM
NATU MAJOREM.

ODE XI.

Lamoniæ Domus fortunam ſola virtute contineri.

NEMPE hoc monebas, optime LAMONII:
Non marte ab uno gloria turbido
  Quærenda bellorum fragore,
    Per populos domitos, & urbes.
Nec ſola priſcis arma Quiritibus
Tractata, Romam terribilem hoſtibus
  Fecere, non Afer ſubactus,
    Aut Nomas, horribiliſve Medus.
Sua & quieto carpitur è foro
Palma, & reportantur ſine ſanguine

Certi, per heroas togatos,
Pacificæ Themidis triumphi.
Mihique is unus longe alios ſuper
Laudetur heros: qui male nil ſibi
Permittat impermiſſum, & alta
Mente, libidinibuſque cæcis,
Suiſque votis imperet, abſtinens
Optare, quæ fas non prius annuat:
Refrænet iras, & volentes
Per populos, ſine cæde regnet.
Quod eſt honeſtum præferat utili,
Vultu ſevero dona nocentium,
Pro jure mercando, ſuperbus
Rejiciat, rigiduſque judex.
Hac arte priſci Lamonidæ decus
Cœpere verum quærere: ſic avus,
Clarique majores, tuumque
Per patrios genus omne faſtos.
Hac & ſupremum Lamonius parens
Legum in tribunal, juſtitiæ integer
Pervenit, & cœpit profundo
Ore ſuæ dare jura genti.
Vides, ut alti pondere conſilî
Momenta legum temperet: & ſuo
Componat æſtus turbulentos
Eloquio, popularis auræ.
Mirata talem, te quoque Regia;
Orator urbis cum populo datus
Sermone regem non tacendo,
Pro patria alloquereris urbe.
Dijudicandis civibus unice
Attentus, æquum dividis omnibus,
Vanoque nugatum tumultu
Liber, amas ſolidum, ac requiris.
Jam ſic paternam moribus in tuis
Agnoſco virtutem, atque domeſticum
Decus, redonatamque mundo
Juſtitiam, ſtudio parentis.

Hæc veſtra laus eſt, inclyte LAMONI:
Virtute in una ſcilicet & domus
Lamoniæ fortuna, & omnis
Spes meriti ſtatuenda veſtri.

AD DIVAM VIRGINEM LAURETANAM

ODE XII.

Ut Turcam ab Italia procul arceat.

DIVA, quam rebus trepidis benignam
Rure Piceno veneratur Orbis,
Cui ſuos ſternit facilis moveri
Adria fluctus:
Si qua paſtoris tibi Vaticani
Cura, vel ſacri ſupereſt ovilis,
Italis Thracem procul inquietum
Finibus arce.
Si faves, totis trepidabit undis
Boſphorus, rupes Scyticæ pavebunt,
Turca pallebit, timidumque cornu
Luna recondet.
Namque te dudum pelagi potentem
Non ſemel verſo tremuere ponto
Merſa Threſſi, rate diſſipata,
Arma tyranni.
Ne tibi fidam pavor ille gentem
Angat, aut ſævis male turbet armis
Quos tuis læti meditamur aris,
Ponere honores.

AD DUCEM BORBONIUM SERENISSIMI PRINCIPIS DUCIS ENGUINEI FILIUM NATU MAJOREM.

ODE XIII.

Pro puero, dum crescit, parentum virtute excitando.

PAVETE Iberi! Non ego barbaræ
Telluris hostem, litore ab ultimo,
Narrabo venturum, futuram
Urbibus Hannoniis ruinam.
Discrimen urget. Borbonia novus
De stirpe crescit sub patribus leo,
Luditque: Condæas per ædes,
Filius Enguineo parenti.
Fatale toti nomen Iberiæ,
Fatale Belgis: si bene milites
Pugnata, Limburgo sub alto,
Prælia adhuc meminere vestri.
Et si qua restat cædibus horridæ
Seneffi imago, vincere fervidos
Cum terror, & strages Parentem
Antevolans, & Avum præiret.
Quæ bella cerno? Per medios furit
Condæus ardens & vagus ordines,

Totis recedentem obſtinatus
Naſſavium reperire caſtris.
Bellique primo detonat impetu
Dum nimbus omnis, protuere obvios
Non ceſſat, infractam ferocis,
Rumpere atrox aciem Sicambri.
Virtute talem ſi puer exprimat
Creſcendo quondam Borbonides Avum,
Quem monſtra, inacceſſis ſub antris,
Herciniæ tremuere ſylvæ,
Altoque Mœnus flumine palluit:
Si grande bello Borbonidûm genus
Æquet, Palatinæve Matris
Ingenium, niveoſque mores:
Quos ille amores per populos, ſuæ
Ex ore matris, quos animos feret,
De fortium exemplo Parentum,
Quos juvenis referet triumphos?
Quando Friburgum, fiſa loci ſitu
Norlinga, ſupplex Alſata, Teutones
Victi, triumphatuſque Rhenus,
Tot populi domiti, tot urbes
Menti recurrent: quos animo puer
Verſabit æſtus? Namque domeſtica
Exempla creſcentem excitabunt:
Et Proavis ſimilem, & Parenti
Natum reponent. Sed mihi fervido
Videtur urbes & populos ſuper
Volare curru, tot triumphis
Jam patriis animoſus infans.
Dum creſcit ætas, dulcibus interim
Muſis remittat ſe puer: atque Avi,
Magnique virtutem Parentis
De teneris meditetur annis.

AD
PETRUM BELLEVRIUM.

ODE XIV.

In effrænatam ætatis noſtræ luxus impotentiam.

ERRAMUS, & nos, BELLEVRI, vanus tenet
Ac faſcinat præpoſtere
Severitatis cultus: auſteri palam
Volumus videri, nec ſumus:
Loquimur ſevera, & delicate vivimus:
Sic indoles eſt ſæculi.
Crepare mores inverecundi bonos
Audemus, & noſtri jacent,
Fœdaque molles diffluunt inertia,
Ætatis hujus in probrum.
Longinqua velis navigamus æquora,
Pontique ridemus minas:
Negotioſo ut ſerviamus luxui.
Quæcumque naufragio venit,
Pretioſa res eſt. Menſæ & abaci è finibus
Mundi afferuntur ultimis.
Lignumque fuco diſcolore patrium,
Maculiſque deformat faber:
Ut inſolens quid, atque peregrinum exprimat.
Noſtro palato deſipit,
Vulgare quidquid atque plebeium ſapit:
Niveſque, pœnas montium,
Laborioſas facere delitias gulæ
Studemus artes per novas:
Partuque fructus arbores adultero,
Dum parere ferro cogimus,

Nil esurimus obvium, ac parabile:
Est vile quod pronum est nimis.
Regum illa vestis principumque purpura
Nostros in usus viluit.
Spectatur altas optimatum per domos
Jam purpurata servitus.
Pro foribus ipsis turba famulantum fremit,
Longisque oberrat atriis
Populo videnda, se [illegible] ostentans heri
Coloribus sub splendidis.
Amnes regesto submoventur è solo,
Campi innatantur amnibus;
Et substruendis molibus terra intimis
Perfossa visceribus gemit.
Fastu insolenti magna privatæ domus
Struuntur in palatia.
Marmore superbum limen est, & grandibus
Addenda tectis porticus,
Aurisque aperta perviis, longum explicat
Se per columnarum ordinem.
Opulenta splendent sumptuosis ædibus
Aulæa: crystallus domum
Lucet per omnem multa: laqueare eminet
Auro nitenti perlitum.
Ferro vibratam, perque nexus tortiles,
Pexam renodamus comam,
Trans mare petitis crinibus, quos nutriit,
Et vendidit Britannia.
Et per colores non suos nigrum caput
Mutare flavo discimus.
Ori paratur arte medicatus rubor,
Genasque fucus inficit.
Manus olentes roribus jasmineis,
Roseis capillos ungimus:
Pictamque plumis addimus superbiam,
Tumidum ut inumbremus caput.
Fastidiosus nomina exhausit novis
Antiqua luxus vestibus.

Monilibusque colla torquatæ exteris
   Census maritæ conjugum
Dotesque vendunt, ut novum formæ decus
   Parent, & exponant procis.
Virgata vestis moris externi placet;
   Vestes supra jam patrias:
Sed latera amictus deprimunt arctissimo,
   Unde gracilescant Virgines.
Comptumque velo dum l[illegible] obnubunt caput,
   Ardent videri, cum latent.
Et dissolutis induuntur vestibus,
   Ut pateat insidiis pudor.
Hoc mersa cœno civitas non se amplius
   Agnoscit, & sui pudet.
Morum hæc ruina, dedecusque sæculi,
   Longa est quærelarum seges:
Et digna, cur per insitam modestiam,
   Frugalitatem per tuam,
Sanctosque mores, temporis tam perditi
   Hanc improbaturos luem,
Placandus ad te provocarem, BELLEVRI,
   Et rumperem silentium.

AD CAROLUM PERERIUM LYRICUM INSIGNEM.

ODE XV.

Nimis circumspectam ac diligentem Gallici sermonis curam, quæ nunc est, tractandæ Poësi Lyricæ videri imparem.

SIC te non tua, PERERI,
Conjectura fefellerat,

Sic est : nulla decentius
Scripsit, tempore pristino,
Ætas, nulla disertius :
Quam quod scribere cœpimus.
Nostro purius haud fuit.
Sæclum, nec magis elegans.
Ut verum fatear tamen,
Dum sic quærimus anxie
Linguæ munditiem, omnibus
Sparsam denique gratiis ;
Et dum difficiles nimis,
Et tersi, & graciles sumus
Nervos, crede mihi, suos
Verbis ah ! male seduli,
Justa, & pondera deminus.
Sic & destituit sua
Sermonem prope dignitas.
Si nescis, ea, PERERI,
Circumspecta sagacitas
Scribendi, & nimis anxia
Quæ nunc sedulitas viget,
Prorsus sic animorum egens.
Nos jam carmine patrio
Tractandæ fidibus lyræ
Prorsus reddidit impares.
Ætas nostra superbior
Audax quidquid & insolens,
Sermoni est patrio illitum,
Duris respuit auribus.
Ergo si fide Gallica
Nostri forte paraverint
Vates, pulvere bellico
Nigrum dicere Principem,
Dum Burgunda quatit suo
Victor mœnia fulmine,
Et Reges canere & Deos :
His est protinus altior
Affectanda polo via :

Nec tam grandia debili
Enarranda modo: juvat
Ferri, quo rapit impetus,
Et mortalibus invium,
Pennis fortibus, arduas
Trans nubes, per iter ſequi:
Et per certa pericula
Prudentis petulantiæ,
Multo non ſine numine:
Et non degeneri gravis
Pertractanda modo chelis.
At nos grandis Horatii,
Quantum poſſumus, æmuli,
Nos Romana quibus lyra
Majores animos facit,
Felicemque licentiam:
Ut multo melioribus
Pennis, ô bone PERERI,
Altos tollere ſpiritus,
Præclare temerarii
Audemus, quoties viros
Fortes dicimus ad lyram,
Verſus immeritos mori
Soli ſcribere novimus.

AD SERENISSIMUM

GALLIARUM DELPHINUM.

ODE XVI.

Pro eo, per Principum literatorum triumphos, ad ſtudium literarum, cui dat operam, incitando.

DUM literato ludis in otio,
Et caſtra doctæ Palladis impiger

DELPHINE ſectaris, futuros
Vincere jam meditaris hoſtes
Bonas per artes, pectora dulcium
Formare alumnorum, aſperioribus
Virtutis armorumque curis,
Pallas amat, teneris ab annis.
Imbelle nido ſic genus erudit
Ales miniſter fulminis, arbitra
In luce, ad armorum fragorem, &
Grande miniſterium tonantis.
Sic natus alti ſanguine Pelei
Infans Achilles ſemifero manus
Submiſit heroi, ſuperbum
Ilion excidio daturas.
Sic in Lyceo per ſophiæ ſacras
Deductus artes Æmathius puer
Græcum, pharetratumque Perſam, &
Terribilem ſuperavit Indum.
Sic quæ Latinis Annibalem ferum
Carthago quondam finibus intulit,
Doctique, Muſarumque amantis
Scipiadæ malè ceſſit armis.
Altam quiritum per ſapientiam,
Ac literatos ſic quoque Cæſares
Se Roma tum demum ſubacto
Impoſuit metuenda mundo.
DELPHINE, quam non gloria lauream,
Quas fata palmas non tibi deſtinent?
Si quando formatus per artes
Egregias, facileſque Muſas,
Orbi regendo veneris. Ilicet
Hoc ſperat à Te Rex Pater, & ſuæ
Virtutis inſpirare nato
Magnanimos bene cœpit ignes.

IN GUILLELMI LAMONII SENATUS PRINCIPIS OBITUM.

ODE XVII.

Ejus mortem ſemper dolendam.

QUANDO denique nos dolor
Reſpirare ſinit, magnanimum mori,
Fratres LAMONIDÆ, Patrem
Dicamus, gravis ah! quem nimium diu
Mœror dicere diſtulit.
Nec porro taceat ſedula civitas
Lugendum populo virum.
Nam quando ſimilem publica res tulit
Civem, quando parem feret,
Unum pro Patria ſcilicet omnia
Devotum & facere, & pati?
Mores flete, fleant Jura, fleat Fides,
Et quæ LAMONIO ſtetit
Virtus incolumi. Sed quis agit novus
Æſtu non humili calor
Vatem non timidum, nec cithare imparem?
Quo vir, magne, rapis tui
Plenum, impreſſa quibus pectora ſuſcitans
Flammis? Quo feror arduus
Nil vulgare movens, grandeque LAMONI
Altâ mente agitans decus?
Ut mœrore mihi, & carmine percito
Enarrare libet virum,

Incorruptum

Incorruptum animi, & facta retexere
Proponenda nepotibus!
O mens! ô pietas! ô ſapientia!
O morum nitor! ô fides!
Simplex ingenii candor! ô eloquî,
Et linguæ lepor uberis!
Virtus ingenuo caſta ſilentio!
Quid demum loquar, ut malas
Fraudes conſilii pondere fregerit?
Ut famæ inſatiabilem
Numquam corde ſitim expleverit anxio?
Luxum legibus ut ſuis
Frænarit? ſtudiis finxerit ut bonos
Mores aſperioribus?
Et nullarum animus deliciarum egens,
Artes foverit optimas?
Quid narrem, quoties mentis ut integer,
Triſtis nube ſupercilî,
Ad laudes trepidans palluerit ſuas;
Ut contemptor opum, gravi
Vultu reſpuerit dona potentium,
Ut punire alacer ſcelus,
Toto depulerit perfidiam foro:
Et vulgi male deſidis
Pendere arbitrio, vel populum vagè
Errantem indocilis ſequi:
Sed rectæ rationi, & ſapientiæ
Se componere noverit.
Omne odiſſe lucrum fortis, ut utili
Verum prætulerit decus?
Et quo LAMONIO Gloria ſoſpite
Numquam poſtibus abſtitit.
Sed vix tot meritorum umbra manet levis.
O mortalibus aſperæ,
Injuſtæque vices! Cur novus inſitam
Altè triſtitiam arguens,
It per membra tremor? Languida ab intimo
Quid ſuſpiria pectore

Interrupta volunt ? Humida per genas
Manans gutta rigat ſinum.
Cur aut unde madent lumina lacrymis ?
Ah! quando, bone LAMONI,
Dignus perpetuis fletibus occidis,
Quæ ſolatia jam pati,
Quæ ſperare queam, aut vivere quid morer ?

IN EJUSDEM SENATUS PRINCIPIS OBITUM.

ODE XVIII.

Sæculi emendationem ab ejus virtute, moribus, & judiciorum ſanctitate ſperatam.

NON ergo vanè credidimus dies
Fluxiſſe priſcis gentibus aureos ;
Pronunciabat innocenti
Quando Themis ſua jura mundo.
Vigebat illo tempore, ſimplici
Verendus ore, & fallere neſcius
Candor, ſeveræque æquitatis
Unicè amans Probitas, Fideſque.
Hos nempe mores, hæc tua, LAMONI,
Virtus ſpopondit ſæcula, cum foro
Regnare cœpiſti tuarum
Pondere, præſidioque legum.
Jam noſtra multo crimine decolor
Pallebat ætas, dedecus ultimum
Mundi, atque naturæ ſupremum
Opprobrium vitioſioris
Aulæ infideles quid memorem ambitus,
Urbiſque avaræ turpem opulentiam,

Luxumque menſarum redemptum
Regni opibus, populique cenſu?
Illo Senatus Præſide, criminum
Pudere mundum cœpit, & aſperos,
Ferroque perfuſos, & ære
Sæcula dedidicere mores.
Urbis tuendo nam bonus otio
Seu ſors vacaret, publica ſeu foro
Edicta juris reſtituti
Fatidico perhiberet ore;
Seu civitati oracula redderet;
Seu congregatos diceret ad Patres.
Adverſus obſtantem ſuperbum,
Jus inopi, aut viduæ faveret:
Tutela præſens contigit omnibus:
Natum ſaluti provida publicæ
Quem mundi, & è rerum theatro
Edidit, expoſuitque Virtus,
De matris ulnis candida quem Fides
Fovit receptum: quem Pietas ſinu
Excepit, adpreſſis & ori
Uberibus puerum erudivit.
Inde illa recti pectoris indoles,
Celſæque mentis nuncia frons dedit,
Ex oris aſpectu ſereni,
Magnum animæ indicium eminentis.
Tali forenſes ſub duce Curia
Exoſa rixas, fræna licentiæ
Injecit, addixitque juſtas
Perfidiæ, ſcelerique pœnas.
Illum, & ſeveræ ſi Themidis foret
Tractanda libra, aut ſi gladius deæ
Movendus, & ſumenda fortis
Aut animi ſapientis arma:
Semper tremendum crimina judicem
Senſere, quem Fas, Juſtitia, & Fides
Mixtis ſequebantur clientum
Agminibus ſacra jura dantem.

At ille mentem, rebus in asperis,
Componere æquus, non male perfido
Dixit sacramentum favori,
Vanus amans popularis auræ.
Nec illum inanis gloria, nec nitor
Delusit auri: major ab ipso opum,
Rerumque contemptu, pavebat
Immodicis dare vela votis.
Quid narrem, ut alti pondere consilî,
Absterſit ægræ nubila patriæ?
Jam toto inhorrescente regno,
Turbidinus, tenebrisque belli.
Regi obligatam tum populo fidem
Persuasit autor pacis, & artium
Ultor pudendarum, fideli
Omne nefas animo execratus.
Rerumque nasci longe alium ordinem,
Francum per orbem, vidimus, & novos
Flavo redordiri metallo
Tempora LAMONIANA mores.
Quas inde leges surgere vidimus,
Et quos honores legibus additos?
Ubique juri pejerato
Rite vigor renovatus omnis.
Tum restitutus non bene mutuis,
Aut inquietis connubiis honos.
Suisque, neglectas per aras,
Religio reparata templis.
Et scripta per te, maximè LAMONI,
Discenda seris jura nepotibus
Sæclo redonarunt labanti
Justitiæ potioris usum.
Tantoque legum vindice non furor
Civilis urbi sustulit otium:
Gentique speratum quod ætas
Hinc flueret pretiosa nostræ.
Sed vana rerum nos species capit:
Suspiret omnis denique civitas.

Nam quid ſpei extincto ſuperſit
LAMONIO melioris ævi ?

IN

CHRISTUM PATIENTEM.

ODE XIX.

NUBE quis clari rutilum profunda
Solis extinxit jubar ater horror ?
Nocte turbatus ſuper inſolenti
Palluit orbis.
Palluit cælum : ſtupefacta tanti
Venit in partem quoque Luna luctûs,
Quippe tam juſti fuit ulla nunquam
Cauſa doloris.
Vidit affixum trabe Sol in alta
Numen, & vultus pavidos retorſit :
Luminis fontem puduit videre
Luminis orbum.
Sed quid aut primum querar, aut ſupremum ?
Membra ſervili lacerata loro ?
Anne Romano patefacta ferro
Pectora dicam ?
Quid loquar fuſo Domini cruore
Roſcidas rupes, ſcopuloſque tanti
Criminis teſtes, quid aperta juſto
Saxa dolore ?
Tene ſudato madidum cruore,
Chriſte, vel fato properante mœſtum
Dixerim ? clemens ubi mons virenti
Frondet oliva.
Qualis orabas ? nece cum propinqua
Robur ardenti prece colligebas.
Vidit orantem ſimul & paventem
Nuncius ales.

Quo repentino, furiose miles,
Arma moliris glomerata gressu?
Parce crudeli temerare sacrum
Cuspide corpus.
Dum loquor, multus properat satelles,
Christus armato rapitur furori
Præda, raptatum violenta numen
Turba fatigat.
Qualis heu! mollis, grege dissipato,
Agnus Hircanos cadit in leones:
Ille non uno laceratur unus
Victima dente.
Quid super tanta rabie, tonantis
Lenta suspensum tenet ira fulmen?
Heu! sub humano Deus ipse causam
Judice dicit.
Forte candentes radiata vultus,
Luna sopito vigilabat orbi,
Tecta per multo sopor altus ibat
Ebria somno.
Cum fatigatum malesana pubes
Intimas Christum penetralis aulæ
Egit in partes, ubi serva ludo
Turba vacabat.
Quid loquar pœnæ genus insolentis?
Nocte quos una tulerit dolores,
Nocte quos sævi tolerarit una
Verberis ictus?
Nulla lymphati rabies furoris,
Nulla vis mentis male feriatæ,
Non gravi illusit veneranda risu
Numinis ora.
Vix redux orbi roseos agebat
Sol, sub aurora præeunte currus:
Cum cruentato maculatus ore
Triste reluxit.
Interim tota glomeratur urbe
Turba divini sitiens cruoris.

Tolle ! clamabat ; trabe perduellis
Pendeat altâ.
Mente sed judex miseratus ima
Asperam sortem, sitis ut cruentæ
Contineretur furor, imperavit
Verbere cædi.
Itur arcanos laris in recessus,
Et novos Christus datur in dolores :
Miles erectam media columnam
Figit in aula.
Nudus adducto Deus obligatur
Fune : tum pubes furiosa vinctos
Expedit fasces, rigidumque torti
Vimen acanthi.
Ardet in plagas validus satelles ;
Aula percussis gemit icta plagis,
Et repercussi resonant frementes
Verberis ictus.
Non tot æstivæ cecidere guttæ
Grandinis : non tot per inane rupti
Vere funduntur pluvio, solutis
Nubibus imbres.
Ecce jam totam fluitant per aulam
Sanguinis rivi, laceri per auras
Depluunt artus, rigno redundant
Omnia tabo.
Vindicis cæli super hæc silebant
Tela : non pœnas ; pater, irrogabas
Languido stabas pede, nec rubenti
Nube tonabas.
Insuper miles Solymæus instat,
Implicat frontem paliuro adunco :
Ipsa pro sceptro manus implicatur
Simplice junco.
Vepribus frontem lacer, & liquenti
Squallibus vultum sanie, videri
Turpis est : tabo vitiata fœdat
Ora cicatrix.

Ligna per ſectas fabricanda cedros ;
Artifex ferro bifido ſecutus,
Mortis erexit trabe ſub bicorni
Infame theatrum.
Tollitur paſſis ſpatioſa ramis,
Chriſte, crux palmæ tibi deſtinatæ
Ferculum, triſtis tibi præparati
Pompa triumphi.
Tene jam dura video gravatum
Mole ? Tortores humeris iniquum
Pondus imponunt, lateri ſatelles
Fuſus oberrat.
Additur Chriſto comes, & peracto
Urbis emenſæ ſpatio, venitur,
Mons ubi longo ſuper aſtra ſurgit
Golgota dorſo.
Ter ferunt montem ſcopulo ſonanti
Ad ſacrum Chriſti trepidaſſe numen :
Rauca ter ſurdum gemuit ſub imis
Terra cavernis.
Immemor rerum Solymæa pubes
Inſtat, & nudum rigido reclinat
Numen in ligno ; cohibet trabalis
Brachia clavus.
Inde ſublimi tenues in auras
Arduus trunco datur, & latrones
Inter, è ligno fragili pependit
Tam grave pondus.
Quid paves, Natura ? Quid erubeſcis ?
Non tuum crimen, facinus furoris
Non tui : unius fuit illud unum
Crimen amoris.
Miles effoſſi penetrale cordis
Efferus, torta patefecit haſta :
Sanguinis rupto rapidus cucurrit
Pectore torrens.
Sol laborantes medio repreſſit
Territus cæli ſpatio quadrigas :

Unda suspensos tenuit paventi
Litore cursus.
Tum caput movit Libanus, moveri
Insolens: manes Acheron remisit,
Et sacri rupto patuere velo,
Abdita templi.
Tristibus fontes fluitasse rivis,
Et reclinatum capitis superbi
Tum ferunt cedros posuisse flexa
Fronte cacumen.
Frusta per quassas abiisse rupes,
Intimis colles trepidasse venis,
Et modis totam simulacra miris
Acta per urbem.
Christe, te flerunt specubus sub altis
Saxa, te rivi, liquidique fontes;
Christe, te flerunt stupefacta mœstis
Rura colonis.
Et tuum funus perhibent profundis
Armenas silvis gemuisse tigres,
Teque Getulos rigidis leones
Flesse sub antris.
Dum dolent rupes, pecudesque brutæ,
Numinis fato super immolati,
Non homo justi dabit ulla durus
Signa doloris?
Cuncta plorato lacrymosus imbre
Ora perfundat liquor, & sonoris
Personent circum loca verberatæ
Planctibus auræ.

IN FONTEM POLYCRENEN, BAVILLÆO IN AGRO AQUARUM PERENNITATE ET COPIA PERNOBILEM.

AD GUILLELMUM LAMONIUM PRINCIPEM SENATUS.

ODE XX.

RURIS ſplendide fons LAMONIANI,
Quo non alter aquæ perennioris
Manat agmine copioſiori ;
Collis primus honos ſiticuloſi,
Vallis deliciæ tibi adjacentis,
Quo te carmine, fons beate, dicam ?
Nil te purius eſt, ſalubriuſve :
Et ſi nobilis unda fabuloſæ
De Pindo tibi certet Hippocrenes,
Aut quos carmine priſca prædicavit
Fontes fabula fabuloſiores,
Ipſa omnis tibi cedat Hippocrene.
Et quos carmine priſca prædicavit
Fontes fabula fabuloſiores.
Quando ſæpe tuæ vides ſub udo
Ripæ gramine, Principem Senatus,
Venatu nimio jacere feſſum,
Mirarique tuam perennitatem,
Seceſſumque per otioſiorem,
Moram ducere non malè otioſam.

Mollis namque toto sedens sub herbæ,
Legit Virgiliumve, Tulliumve,
Suas delitias, suosque amores:
Aut quodcumque operum venustiorum,
Olim, tempora prisca, protulistis.
Sedis Liligeræ sacrum tribunal,
Toti jura dat unde Civitati,
Non illum faciat beatiorem.
Vos ô nobilium proinde aquarum,
Fontes undique quot quot estis omnes,
Fonti cedite jam LAMONIANO.

IN
EUNDEM FONTEM.

ODE XXI.

GAUDE sorte tuâ: sat es beatus,
Fons solo edite SANCARONIANO:
Et quamvis per agros inelegantes,
Et vilem thalamum, atque scrupulosas
Per valles, iter is laboriosum:
Nec sat terra tuo sit æqua rivo,
Fortunâ utere. LAMONAEUS ille,
Princeps Ordinis ille purpurati,
Regni gloria prima, sæculique:
Musarum ille amor, ille LAMONAEUS
Amat te bonus, atque sæpe visit,
Septembres ubi per vacationes,
Urbe aulaque procul tumultuosâ:
Obit lata sui vireta ruris:
Quin & sæpius esse te suarum
Metam destinat ambulationum.
Ergo desine velle sumptuosas
Cunas, ac thalamum decentiorem,

Cultus desine velle mundiores,
Fortunamque aliam: sat es beatus.

SERENISSIMO PRINCIPI
EMMANUELI THEODOSIO
A TURRE ARVERNIÆ
BULLONIO
S. R. E. CARDINALI.

Solitudinis in quam secessit commendatio & Sammartinianæ ad Pontisaram ipsius Villæ amœnitas.

HENDECASYLLABUM.

ODE XXII.

NON me sollicitæ morentur urbis
Et plausus, & opes, & inquietis
Vulgi gratia promerenda votis:
Quando ruris amor, tumultuosa,
O lux ordinis una purpurati,
Omnium optime BULLONI optimatum,
Te, pro tempore, separavit urbe:
Omni ut denique liber ac solutus
Curarum strepitu, tibi tuisque
Veræ laudis amans libris vacares.
Nec frustra meruit tuæ beatus
Ager Pontisaræ tuos amores,
Tanto à Principe sic merens amari.
O urbs! ô Isara! ô amœnitates
Pratorum prope flumen adjacentum:
Cæli ô temperies, benignitasque,
Et clementia mansuetioris!

O colles!

O colles! ô agri! placensque vallis!
Ruris otia blanda delicati!
Ubertas opulenta fructuosæ
Telluris! Juga vitibus benigna!
Camporum ô species procul parentum!
Domus munda, nitens, pereleganſque,
Ipsis ô domus invidenda divis!
Quid pictos memorem tot & tot aureis
Hortos floribus, & vireta læta?
Quid umbras loquar ac opacitates
Ad ripam salicum prope assitarum,
Et qui pervolitant citi, leveſque
Toto fluminis alveo phaseli?
Conspectum plaga discoloris herbæ
Vestitu exhilarata ut ornat omnem?
O florens & amœna solitudo!
Quies dulcibus ambienda Musis,
Sedes vatibus appetenda sacris,
Omnibusque colenda literatis:
Hero quamdiu erit suo superba.
Et te præterea vel otiosum,
BULLONI, tua villa dum tenebit:
Vos urbes, populi, celebritates,
Honos, ambitio, favor valete.
Unam denique, BULLONI, tuarum
Tecum rure tuo ambulationum
Regum prætulerim omnium favori.
Tecum maluerim usque feriari,
Et pendere tuo frequens ab ore,
Otiisve tuis, negotiisve
Interesse dies silendo totos,
Te sic vivere, sic loqui scientem
Longum audire, tuos studere, mores.
Mores ah! niveos, nec hujus ævi,
Ipsi quos adeo stupent boni omnes,
Quos tanti facit urbs, & omnis aula,
Nil tanti ut faciat vel urbs, vel aula,
Nil tantum stupeant ut boni omnes:

Tecum maluerim uſque ruſticari,
Quam decernere fata cæterorum.

ILLUSTRISSIMO VIRO

NICOLAO DE LAMOIGNON

DE BASVILLE,

Senatus Principis filio, Magiſtro libellorum ſupplicum, Judici integerrimo.

ODE XXIII.

In villam perelegantem nuper ab ipſo ædificatam.

Nec te, carminibus meis,
Dici tam meritam dicere non amem,
Ac longe, reliquas ſuper
Villas, egregiis tollere laudibus
Noſtri Curſo Lamonidæ.
Princeps purpureo quam datus ordini,
Ingens ipſe LAMONIUS
Donavit veteris nomine Curſonî.
O rus uber, & elegans!
O Launæe tui Curſo Lamoniadæ
Jam ſeceſſus amabilis!
Raucæ feſſus ubi tædia diluat
Urbis, lenibus otiis:
Inſanaſque fori ſollicitudines,
Turbæ jurgia Civicæ
Mox permutet agri non malè deſidis
Auris liberioribus.
O dotata quies ruris honoribus!

O pax ! ô domino domus
Plus ornata tuo, quam quibus undique
Sic es ſplendida, ſic nites,
Artis deliciis ! Nullaque principum
Villarum è numero, tibi
Jam ſe prætulerit ſimplice nobilis
Cultu munditiæ, paris
Nec ſeſe æquiparet dote modeſtiæ:
Quali laude, Lamonidûm,
Et ſic ingenio non male diſcrepes,
Quam vel non Pudor improbet.
Idcirco melior jam domus omnibus
Luxus atque, opulentiæ
Villarum reliquarum immodicam nimis
Objurgare ſuperbiam
At me, veſtibuli limine ab arduo
Quantùm magnifica aſpici
Percellit facies illius, illius
Admirabilis atrii :
Tectorum ſpecies unde parentium
Campis ſe procul explicat.
Ut me tota domus, ſparſaque per domum
Quædam mulcet amœnitas !
Ut ſic exhilarant omnia, quæ decus
Spirant undique Gratiæ !
Nec te non memorem ſub penetralibus
Ipſis, pars potior domus.
Muſæum domini marmoreâ ſacrum
Magni Patris imagine :
Hic & ſpirat adhuc vivus, & omnia
Circum temperat : ore quo
Reddebat trepidæ jura LAMONIUS
Urbi. Sed mihi devio
In lucum penetrare, & nemus aſſitum
Mirari vacat : ut placet
Et quæ planities, margine ab edita,
Horto præjacet ultimo :
Ex quâ ſe facies libera collium

Vicinorum aperit, jugis
In Bacchum & Cererem luxuriantibus.
Quid Pomaria prædicem,
Tot digeſta ſuis in ſtationibus ?
Quid fructus viridem loqnar
Ad murum applicitos ! Unde coloribus
Pingi rite queant ſuis,
Nec ſolis radio ſimplice percoqui.
Hîc & divite copia
Hornæ ſcena patet magnificentiæ :
Et diſcreta, per areas
Certas, mala ſuo Perſica, quæ pater
Vino perluit Evius
Et prunis ſuus eſt hîc honor, & pyris,
Puri nectari uvidæ
Hîc ficus oculis ac manibus ſinunt
Ultro ſe faciles legi.
Exquiſita modis ô domus omnibus !
At multo melior tamen,
Si virtutis iter dum teret arduæ
Alta mente LAMONIUS,
Urbeſque & populos, more Clientium,
Coram Rege tuebitur,
Tantis eloquii fulmina dum movet
Jam famoſa laboribus,
Inſtatque attonitæ dicere Curiæ
Cauſas, juraque Principum,
Reſpirare tui ruris in otio
Tu longùm incolumem ſinas.
Nec te præterea, magne LAMONIDE,
Si me, ſi ſatis audias,
Nec te quando tuas excubat ad fores
Stipatus trabeis Honor
Urat famæ avidum, noctis amabiles
Somnos rumpere pertinax,
Dum curis animum macerat acribus,
Non hoc pollicitus ſuis.
Ergo, crede mihi, deſine publicis.


Grandes velle negotiis
Mentis magnanimæ perdere ſpiritus:
Per te clarus eris ſatis,
Præſtent longa modo tempora ſoſpitem.

ACHILLI
HARLÆO
PROCURATORI
SENATUS GENERALI
R. RAPINUS SOC. JESU
GRATIAS AGIT


Quod foci ob infirmitatem ſibi conceſſi
Proviſorem ſe promiſerit.

ODE XXIV.


PROPINQUA, per me jam licet, ingruat
Hyems procellis fœda nigrantibus,
Cælumque contriſtans profundum
Bruma gelu fragiles acuto.




Perſcindat auras: ipſe cubiculi
Ridebo molli tutus ab angulo
Anni furores impotentis,
Difficilemque Aquilonis iram.




Fit illa per te nam mihi copia,
Lux purpurati clarior ordinis
HARLÆE, cum mandas beatum
Igne calere tuo poëtam,



Tui ſub umbra non male nominis
Spirare dignum: quamlibet imminens
Feſtinet infirmo ſalutem
Præripere emeritam Senectus.



Tanto benignus munere, das mihi,
Das vitam amico: cui bene priſtinos
Ceu ſis redonaturus annos,
Præteritum reparabis ævum.



Mox ergo, ut atrum nubibus horridus
Cælo November protulerit caput,
Curabo non jam differendum
Igne caminum animare largo.




Quid plura poſcam, Teque tuamq; opem
Præbente: demum ſit modus is mihi
Rerum fatigato, fovendæ
Subſidium hoc ſit honos Senectæ.



Tum te Decembrem fervidus ad focum
HARLÆE dicam: Vivis ut unicè
Attentus & Regi colendo,
Juribus & populi aſſerendis.




Narrabo toti qualia Curiæ
Reſponſa reddis, juſtitiam fori
Quibus tueri perſéveras
Conſiliis, animoque quanto es:



Ut civitati conſulis, & rei
Parcus reſervas otia publicæ:
Ut cuncta curas, non ſilebo
Carminibus patriam per omnem.




Tum fama nostris se tua differet.
Modis & addam non popularibus,
Quam promptus ad laudem citatis
Nobile curris iter quadrigis.



Innata virtus prodere ut ambiat,
Per ora avorum, quæ penetralibus
Domus repræsentant sub altis
Atria magna oculis tuentum.



Quondam ut supremum te sibi judicem
Urbs speret omnis, qui tibi Civium
Nimbus salutantum, superbis
Quæ foribus fremat unda vulgi.




Tibi faventis. Quo tua promovent
Te fata dicam, quos genus inclytum
Portendat, & quantos honores
Tam merito tibi destinatos.



Quo nota virtus, quo populi favor,
Famæque quo Te certa fides tuæ
Vitæque constanter severæ
Quo grave te ferat institutum?




Majora dicam: laudibus è tuis
Fervebit ignis, cum crepitantibus
Ad nomen HARLÆI carminum
Cœperit exhilarare flammis.



Quo Musa tendis? Si sapis, abstine
Jam plura porro dicere: laudibus
Sed semper HARLÆUM memento
Difficilem penitus ferendis.

TRADUCTION
DE L'ODE XXIV.
DU
MESME REMERCIMENT
A MONSEIGNEUR
LE
PROCUREUR GENERAL.
ODE.


QUE le triste Hyver commence
A déployer ses horreurs :
Que le Ciel plein d'inclemence
Verse ses sombres fureurs :
Que le froid Aquilon gronde :
Que l'Air en Frimats se fonde :
Que tout gele : j'y consens.
Dans mon bienheureux azile,
Auprés de mon feu, tranquile
Je rirai du mauvais temps.




Toi, qui rehausses la gloire
De nostre Auguste Senat ;
Toi, dont vivra la memoire
Tant que durera l'Estat,
Grand HARLAY, tu m'as crû digne
De cette faveur insigne,
Qui prévient tous mes besoins :
Et dans la saison fâcheuse
Si ma vieillesse est heureuse,
Je ne le dois qu'à tes soins.



Mon âge en maux ſi fertile
Ne me laiſſoit plus jouir
Que d'une ſanté debile,
Qui s'alloit évanouir :
Mais de l'Hyver redoutable
Ton amitié ſecourable
Rend les efforts impuiſſans :
Déja ton genereux zele
Dans mes veines renouvelle
L'ardeur de mes jeunes ans.



Lorſque des glacés rivages
Le premier froid reviendra,
Et que par de longs nuages
L'Air moins doux s'épaiſſira :
Alors contre ma coutume,
Je veux qu'un grand feu s'allume
Pour répondre à tes ſouhaits :
Et libre d'inquiétude
Je ne mettrai mon étude
Qu'à jouir de tes bienfaits.



Dans la vieilleſſe importune
Où j'avance tous les jours,
Eſt-il pour moi de fortune
Preferable à ton ſecours ?
Las des vains projets du monde,
Content d'une paix profonde,
Je benis mon heureux ſort :
Le ſeul deſir qui m'anime,
C'eſt, HARLAY, que ton eſtime
M'honore juſqu'à la mort.




Dans le loiſir où m'invite
Le calme que je te doi,
Je chanterai ton merite

Par des Vers dignes de Toi.
Je dirai qu'infatigable
D'un Roi Grand & redoutable
Tu ſuis les juſtes projets ;
Et de quel vigilance
Tu ſecondes ſa prudence
Pour rendre heureux ſes Sujets.



Je publiray ces Réponſes
Que tu rends avec éclat,
Et de quel air tu prononces
Ce que tu dis au Senat.
De ton tribunal Auguſte
Par tes conſeils toujours juſte
Je vanterai les Arreſts :
Et des Affaires publiques
Où ſans ceſſe tu t'appliques
Les admirables ſuccès.




Ton Nom digne de memoire
A la faveur de mes Vers,
Volera couvert de gloire
Juſqu'au bout de l'Univers :
Je dirai d'un ton ſublime
La vive ardeur qui t'anime
A courir à la Vertu :
Et combien prompt & rapide
Ton Genie heureux te guide
Dans ce chemin peu battu.




Mais à cet éclat illuſtre
Dont tu brilles à nos yeux,
Tu ſçais joindre un nouveau luſtre
Que tu prends de tes Ayeux.
Les images honorables
De ces ayeux venerables
Ornent tes appartemens ;


Quiconque les examine
Voi ton antique origine
Dans ces nobles ornemens.




Que dirai-je de l'envie
Que témoignent tous les cœurs
De voir prolonger ta vie
Dans les plus brillans honneurs ?
Leurs desirs secrets demandent
Ces dignitez qui t'attendent
Dans la carriere où tu cours ;
Et tes loüanges qu'entonnent
Les clients qui t'environnent
Les présagent tous les jours.



Que ne dois-tu point attendre
De la gloire de ton nom ?
Des honneurs où peut prètendre
La splendeur de ta Maison ?
De ta sagesse heroïque,
De cette estime publique
Aquise par tant de droits ?
Enfin de cette constance
A proteger l'innocence
Pour mieux maintenir les Loix.



J'en dirai bien davantage
A ta louange excité
Par l'ardeur qui m'encourage
Quand je dis la verité,
Et par ce feu qui m'agite
L'éloge de ton merite
Plus vivement brillera.
A la faveur de sa flamme
La joye où nage mon ame
Au dehors éclatera ;



Mais ma Muſe, on vous diſpenſe
De ce zele impetueux:
Et le grand HARLAY s'offenſe
D'un éloge faſtueux.
Satisfait d'en être digne,
Son cœur modeſte s'indigne
Des louanges qu'il entend:
Sans trop chercher à lui plaire,
Aimons le d'un cœur ſincere,
C'eſt-là tout ce qu'il prétend.

TRADUCTION
DE L'ODE XXIV.
DE REMERCIMENT
DU P. RAPIN,
A
MONSIEUR GORGE.

O Vous qui entendez ſi bien les devoirs de la reconnoiſſance, & qui en ſçavez inſpirer les ſentimens! Graces venez à mon ſecours. Aydez-moi, par ce commerce ſi étroit que vous avez avec les Muſes, à celebrer le nom de cet Ami bien-faiſant, qui m'a gueri, & à qui j'ai d'extrêmes obligations.

Car vous l'avez regardé toûjours d'un œil favorable, & vous l'avez même élevé dans vôtre ſein. De là vient cet air ſi doux & ſi aimable, qui paroît ſur ſon viſage, cette candeur ſi ennemie de l'artifice, & du déguiſement: cette ame qui

qui sçait se commander & regler ses desirs, qui est la marque d'un beau naturel. Car pourquoi cacher plus long-temps son merite & sa gloire ? C'est luy qui n'ayant point de passion plus ardente, que celle de faire du bien, & qui étant toujours appliqué à un exercice si noble, a été si genereux, que de s'attacher à prendre soin de moi par toutes sortes de secours, lors que j'étois dans une extrême langueur, & presque à l'extrêmité. En quoi il me donna des marques d'une affection toute particuliere.

Ce fut dans sa maison de campagne, où m'ayant tenu presque tout l'esté, pendant trois années de suite, il me rétablit dans une parfaite santé, & me rendit à mes amis. Mais ce n'est ni par l'abondance ni par la délicatesse d'une table magnifique, qu'il m'a gueri : Sa vertu, son honnêteté, sa franchise, & tous les agrémens de sa personne y ont plus contribué, que tout le reste. Car c'est un homme qui n'a d'ambition que pour amasser ces sortes de tresors, qui enrichissent l'esprit. En effet, qui ne sçait avec quelle integrité il a manié les affaires du Roy, & combien il est éloigné de confier ses esperances au caprice de la fortune.

De sorte que si la plus grande gloire des Grands est d'estre bien-faisans : il faut que les Princes lui cedent. C'est estre au dessus de toutes les grandeurs, que d'avoir le cœur toûjours prest à faire plaisir, & la main toûjours ouverte pour répandre des graces ? Ce n'est point à dire de belles paroles, & à faire de magnifiques promesses, que consiste cette gloire : c'est à faire une profession publique de cultiver ses amis par toutes sortes de bons offices, & à obliger tout le monde.

C'est aussi ce qui m'engage, ô mon illustre Bienfacteur, à immortaliser vôtre Nom, & à publier vôtre gloire, en publiant le bien & l'honneur que vous m'avez fait. Car dès que vous

avez bien voulu vous affectionner à me secourir, au moment que j'ai recouvré ma santé, je vous ai regardé en quelque façon comme mon Souverain. Vous me reçûtes alors dans vôtre Maison d'Auteuil, où je commençai à respirer la douceur d'un air si sain & si propre à me rétablir.

Que cette maison est charmante! Que le Païs en est agreable, que le Ciel y est pur! Les Zephyrs y regnent avec tant d'empire, que tout ce que la Grece & l'Italie ont eu autrefois de plus délicieux, n'a rien qui en approche. Mais que le * Bois voisin étale aux yeux une belle scene! Que ces routes vastes & profondes, où l'on se pert dans les promenades qu'on y fait, sont admirables! Que tout ce Païsage est riant! Et que la vallée d'Auteüil a de quoi le disputer aux vâlons si celebres de l'ancienne Arcadie!

Qu'il fait beau voir les Troupeaux errer par ces campagnes, & les Cignes voguer si noblement sur le fleuve! Les belles eaux qui coulent si majestueusement dans la plaine! Quelle admirable foule de carrosses, qui font tant de bruit sur le rivage; Que la prairie arrosée comme elle est du cours de la Seine, comme d'un magnifique Canal, qui descend de la Ville capitale du Royaume, a quelque chose de pompeux!

Mais que ce gazon dressé en lit de repos au milieu de la Terrasse de votre Jardin, est un endroit délicieux pour la vûe! & que je renoncerois volontiers aux affaires pour vous y entretenir, couché négligemment sur l'herbe, ou assis à vos costez. Et que j'aimerois beaucoup mieux vous y dire, des journées entieres, bien des bagatelles, que d'aller à la Cour pour y traiter avec les Grands, de ce qu'il y a de plus important dans l'Etat!

O qu'on découvre bien de cet endroit cette

* *Le Bois de Boulogne.*

vaste Plaine qui s'éleve si agreablement au delà de la Riviere ! On y voit quantité de beaux Villages placez sur les hauteurs voisines. La face de ces magnifiques bâtimens du Louvre, des Tuilleries, & des Invalides y paroist de loin, & se presente aux yeux en toute sa pompe ! Que la vûë de Paris y est admirable : & que cette superbe Ville, qui est maintenant la Maîtresse du monde, par le plus grand Roy, qui fut jamais, étalle de merveilles de ce côté-là !

D'un autre côté on apperçoit la Montagne de Meudon, sur laquelle est le Palais d'un grand Ministre(*a*),& cette Terrasse si renommée. Pourquoi en dire davantage ? Il semble que tous les agrémens des Païs les plus délicieux ont été rassemblez en ce lieu là. Et pour moi je ne voudrois pas changer avec toutes les Beautez de la Thessalie, l'aimable sejour d'Auteuil, qui est celui de la paix & du repos. Ce sejour dont mon ami fait ses délices : & où la santé semble avoir établi sa demeure.

Mais je ne puis penser à parler des avantages d'une si charmante Maison sans en louer le Maître en même temps : puisque je lui suis redevable de ma guerison. Il est donc bien juste que je m'attache à lui, & que toute ma personne soit dévouée par reconnoissance à un homme si genereux & si bien-faisant, lequel a pû ces jours passez guerir deux (*b*) Amis qui n'étoient pas tout-à-fait indignes de cette grace : & qui même s'est fait un plaisir de les renvoyer l'un & l'autre tout-à-fait gueris.

(a) *Monsieur le Marquis de Louvoy.*

(b) *Le Pere Bouhours, & le Pere Rapin*

RENATI
RAPINI
SOCIET. JESU
MISCELLANEA.



ILLUSTRISSIMO VIRO

CLAUDIO PELTERIO

ÆRARII REGII PRÆFECTO,

Regni Administro,

REN. RAPINUS *Soc.* JESU.

MUNERIS istius, quod in ea, qua nunc es, occupatione rerum, tibi offero, excusabis, opinor, importunitatem: cum intellexeris non tam meam quam literarum omnium causam agi in præsenti negotio. Veneramus ad te eo die, quo Santolius noster, carmen suum tam tersum & elegans tibi offerebat: illud postquam accepisses, ea qua semper eum complexus es benevolentia: pudoris ac modestiæ sensu motus, nescio quo, admirabili certe & inaudito, in magno familiæ tuæ, quæ tum aderat pæne universa, cœtu declarasti, te sic abhorrere ab omni genere laudationum earum, quæ fieri solent apud Optimates, ut Poëtarum literatorumque omnium laudibus prorsus renunciare in animo haberes. Sive quod judicares te parum dignum, quem cumularent illi laudibus, uti solent, infinitis: sive quod illustrissimi Galliarum Cancellarii, laudum suarum hostis sempiterni modestiam imitandam tibi proponeres. Quod cum tuo illo vultu non familiari solum, sed gravi & serio persuasisses nobis om-

nibus, audiebamus te taciti, non sine admiratione tantæ virtutis. Sic enim ostendebas nobis animum tuum declaratione tam aperta tantæ moderationis, ut esset nemo nostrûm, qui dubitaret, quam vere id sentires.

Quamquam non erat opus, ut de te, animoque tuo tam valde nobis affirmares, quibus perspectissimus pudor tuus, & vitæ anteactæ ratio satis faciebat fidem. Quid enim non sapientissime, considerratissimeque fecisti hactenus, in quo modestiam temperantiamque tuam desiderari sineres: cujus os fronsque ob oculos nobis versari solet, cum de vera laude cogitamus?

Cum tamen animo sedatiore seorsum apud me reputare cœpissem pudoris fortasse nimis circumspecti professionem tam nudam: impetrare à me non potui, ut silerem penitus, in re tam gravi, ubi agebatur dignitas literarum. An ego, cui per consuetudinem, familiaritatemque tuam ita diuturnam, meritorum tuorum magnitudo sic perspecta compertaque sit, ferre possem non graviter ac permoleste: ut tuæ laudi renunciares, & in ea spectatione dignitatis, qua nunc es, & in summa qua fuisti semper opinione virtutis? Eo accedebat, quòd cum summam in literas, literatosque omnes amoris ac studii commovisses semper expectationem: injuriam sine dubio faceres humanitati tuæ, si humanis ingenuisque artibus te præberes parum æquum.

Quapropter cum ea te noverim indole: iisque moribus, ut constantiæ gloriam semper quæreres magis, quam modestiæ, quod æquabilitas vitæ expectari debet à viro gravi & sapiente: non laborabo admodum de te, super ea re, placando, in qua per vitæ rationem aliam, consiliique mutationem, firmitatis perderes opinionem. Veniat igitur tibi in animum, quomodo hactenus semper affectus fueris erga studium & amorem literarum,

qui excellentium in omni doctrinæ genere hominum consuetudine semper delectatus sis Quare si Musas adhuc amas ut dicis, eas incipe velle non perdere, præpostera religione pudoris intempestivi.

Cogites te versari eo in loco, in quo neque Regis gloriæ, neque regni ipsius splendori consulere jam possis, ut debes : quin excites industriam studiosorum, quos sustentes officiis, consiliis adjuves, & humanitate ac benevolentia foveas. Quod unum ad rerum nostrarum commendationem, immortalitatemque Principis desiderari videatur. Cum enim Administro regiarum pecuniarum regni totius amplitudo proposita esse debeat : non modo ad obscuritatem Gallici nominis pertineret nostrum de te silentium, sed etiam ad probrum & infamiam literarum. Redeat in animum suavissima recordatio fortunati temporis illius, quo Cardinalis Richeleïus tantum decoris & ornamenti rebus nostris attulit, suo in Musas amore, suaque liberalitate & beneficentia in literatos. Quid reliquos præstantes viros commemorem, qui se aliqua reipublicæ administrandæ, gloriæque sibi parandæ laude commendarunt, per amorem literarum? Quæ fuit semper, & nunc est, magnorum virorum consentiens opinio; nihil esse tam gloriosum viris Optimatibus, quam eorum labori & industriæ favere, in quibus recognoscunt aliquod meritum literarum.

Consideres quantum splendoris & gloriæ accesserit domui tuæ, ex quo tuam familiam fecisti tuæ quasi alumnam virtutis ac disciplinæ. An vero liberos tuos, sui memores nominis, natosque ad laudem, domesticis exemplis excitabis ad studium, à quo deterreas mortales cæteros, nescio qua temperantiæ ac moderationis æmulatione parum justa?

Consule temetipsum, tuosque mores, ut ea cogites & animo complectare, quæ valere queant ad nominis tui decus sempiternum. Nam quamvis excelsitas mentis non te sinat amare vanitatem : non

dubito, si veræ solidæque gloriæ teneris ea cupiditate, qua nobiles & belli homines solent, quin faveas artibus iis, quæ silere de te posteritatem nunquam sinant. Rationibus iis quid addam præterea: nisi quod tuæ suavitatis & elegantiæ sit ut malis interdum habere commercium cum eruditis hominibus, quam cum locupletibus & pecuniosis? Quod si recusares, tuam humanitatem, tuum ingenium, tuas literas, tuum Musarum amorem, tibi tuisque sic insitum, implorarem, finemque obsecrandi non facerem, donec id laudi gloriæque tuæ indulgeres. Cum viro, ut es supra ceteros sapienti, consilia, factaque omnia, ad tuendam, amplificandamque dignitatem, in posterum sint referenda. Neque enim sperare jam debes ex professione modestiæ quam præ te ferre cœpisti, obtinere posse te Musarum silentium, cum ea nominis celebritate sis, ut jam ignorari virtus tua minime queat. Nostrum erit vicissim, qui laudare te & admirari profitemur, hanc dare operam: ne quid in posterum dicere vel facere nobis contingat, quo pudoris tui religio tantisper ostendi possit. Lutetiæ Parisiorum 12. Kal. Sextiles anni. M. DC. LXXXIV.



ARMANDO DE GRAMONT COMITI DE GUICHES, ANTONII DE GRAMONT DUCIS PARIS, POLEMARCHI FRANCIÆ FILIO NATU MAJORI.

VIRO ipsa indolis excelsitate ad decus nato, qui vel animum disciplinis, vel corpus periculis semper præparaverat ad fortunam, in quam alebatur. Ubicumque locorum meruit sub signis Principis, rem gessit altiore animo, quam sineret ætas. Pro militari rudimento edidit speciem summæ virtutis, ad obsidionem Landrectij, Valencenarum, Cameraci, Dunkercæ, aliarumque civitatum. Pace ad Pyrenæos inita, bellum terra marique secutus, apud Polonos, & Batavos, gloriam quæsiit iisdem artibus, per quas umbra & otium quæri solet à cæteris. Regio exercitui præfectus imperator ad Marsaliam, ea ætate, qua reliqui milites vix parere norunt. Regem Batavi superbiam ulturum cum moraretur Rhenus, trajiciendi per flumen equitatus suasor duxque primus, eum hosti transitus celeritate oppresso injecit terrorem, quem secuta sit deditio quadraginta urbium & quatuor Provinciarum. Demum imperantem in Germania abstulit morbi tabidi cæca vis, quem mille aditi pro patria casus non læserant. Vitam tot expeditionibus nobilem, immatura, sed pia morte terminavit: dignus maiori fortunæ indulgentia, ni favorem Numinis, fide & patientia, quæsiisset in extremis. Tam bene merenti Filio mœsta Parens Margarita Chivræa Richelii Cardinalis consanguinea Monum. posuit. Obiit ad Chreusenacum in Germania XI. Kal. Decemb. M. DC. LXXIII. ann. agens XXXVIII.

VIRIS AMPLISSIMIS

CHRISTIANO LAMONIO

SENATUS ADVOCATO GENERALI,

ET

NICOLAO LAMONIO

LIBELLORUM SUPPLICUM MAGISTRO,

GUILLELMI LAMONII

Principis Senatus filiis Illustrissimis.

S. M.

DABITIS, opinor, veniam pudori meo, VIRI ILLUSTRISSIMI, quod in tanto literarum silentio, pro celebranda optimi Parentis vestri, de literis tam bene meriti memoria, primus in lucem prodire non dubitem. Videbitur enim audaciæ non mediocris tractare argumentum, cujus magnitudo deterrere cœpit à scribendo cæteros omnes; & eum virum ornare velle laudibus, atque commendare posteritati: de quo quidquid dixeris, partem nullam assequare tantorum meritorum. Nam si consulatur rumor popularis de viri tam excellentis existimatione, eam justitiæ famam adeptus erat, quam pauci consecuti sunt hac ætate: sive spectetur ea fortitudo, quæ vim perferat pro tuenda æquitate, sive ea moderatio, quæ resistat propriæ cupiditati: in quo consistit vera animi magnitudo. Sic autem versari in hominum vita communi: at in humanitatis simplicitate retinenda, nunquam

discedas à dignitate sapientis, quemadmodum fecit ille tam præclare & constanter, magnæ videbitur & eximiæ cujusdam virtutis.

Sed in instituenda tanti viri laudatione, non tam imploranda eloquentiæ vis, artisque facultas requirenda, quam consulenda publica lux, & interroganda conscientia populorum: quorum tacitis suffragiis, occultisque votis ad summa quæque destinabatur, propter admirationem virtutis. Erat in eo summa fides, modestia, probitas, prudentia, comitas, temperantia, &, quo nihil magis decens est in viro constanti, æquabilitas universæ vitæ, conjuncta semper cum specie quadam liberalitatis & honestatis. Nam sive ingenii felicitate, sive bonitate naturæ, sive parentum disciplina, rectaque eruditione vitam semper egit sic alienam ab omni reprehensione, moresque habuit ita inculpatos, ut in urbe maledicentissima, sæculo delicatissimo, corruptissimis judiciis, non modo sermones vulgi, licentiamque maledicentiæ, sed offensionis in quovis genere officiorum vel levissimæ suspicionem semper vitaverit: patiens veri, defensor æquitatis, fidei cultor, fraudis inimicus, vitiorum animadversor, & in turbulentis temporibus, atque in civitate inquieta pacis amans, & studiosus rerum tranquillarum. Cujus consilia recta si tempora adjuvissent, si per valetudinis infirmitatem animo grandia & excelsa pro communi bono agitanti fortuna respondisset, magna facta fuisset accessio ad rerum nostrarum prosperitatem. Nam intelligentiam, prudentiam, curas cogitationesque omnes conferebat in publicam securitatem promovendam: qui cursus est adgloriam, nominisque celebritatem certissimus. Sed non mihi assumam hoc loco, ut prædicem hominem eum, qui tantis instructus fuit semper, adornatusque virtutibus, quantas perfecta vel studio vel natura, mortalis conditio vix recipit. Vir si morum integritati jun-

xeris meritum literarum, opinione populari suffragioque publico sæculi sui eminentissimus, qui in tractatione rerum maximarum, semper ita versatus est, ut magnum nomen sibi fecerit in eo genere laudis quæ pertinet ad populi gratiam promerendam. Nam in summa, quæ nunc est negotiorum difficultate & molestia, non tam patebat omnibus ejus domus, quam vultus ipse animusque, perfusus ea frontis humanitate, qua magis capiuntur homines, quam re, beneficioque cæterorum.

Non dicam hic qua officiorum fide, qua religione, qua diligentia societatem vitæ excoluerit: quantum veræ solidæque laudis consecutus sit in procuranda re & incolumitate publica, consiliorum suorum vi ac pondere. Non commemorabo defensam religionem, innocentiam vindicatam, emendatas leges, conservata majorum instituta; urbanæ disciplinæ vim rationemque omnem restitutam; nihil non præclare fortiterque gestum, pro commodis populorum. De viri incomparabilis eximia pietate, de severitate judiciorum, de perspicientia animi, de ingenii excellentia, indolisque nobilitate, de humanitatis morumque suavitate, de magnificentia, despicientiaque rerum humanarum immensa esset oratio. In quibus omnibus gloriari licet utrique vestrûm tanquam de laude domestica. Gloria enim optimi parentis vestri quædam est quasi hæreditas, cujus fruendæ jus habetis magis legitimum, quam fortunarum cæterarum. Est enim propria laus domus vestræ, quæ semper fuit disciplina virtutis, justitia, fide, pietate præstare cæteris omnibus. Sed puderet me, in tanta materiæ veluti infinitate, dicere tam paucis de viro tam admirabili, nisi cogitarem magis de excitanda industria & alacritate literatorum, in eo ornando, quam de meo, ad illius obitum, vel luctu vel desiderio ostentando: certus quidquid contingat,

tingat, futurum ut tantæ virtutis memoriam interire, aut extingui nomen immortalitate tam dignum nunquam ſinat æternitas. Tamdiu enim laudabitur LAMONIUS, quamdiu erunt literæ, per quas aut celebrabitur virtus, aut conſervabitur memoria rerum noſtrarum. Pariſiis 3. Calend. Sextil. anno M. DC. LXXVIII.

IN IMAGINEM
JULII ROSPIGLIOSII
NUPER
CARDINALIS
EMINENTISSIMI
NUNC
SUMMI PONTIFICIS
CLEMENTIS IX.

EPIGRAMMA.

FALLOR! ad excelſum reſpirat Imagine ab iſta
Neſcio quid, totus quod colere orbis amet;
Vos, ô Romani pictori applaudite colles:
Magnum pro vobis hoc Caput omen habet.

Scribebatur Pariſiis VIII. Calend.
Octob. an. 1666.

Finis Tomi Tertii.

